MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80275-4

AUTHOR:

REEDER, HERMANN

TITLE:

DE CODICIBUS IN CICERONIS ORATIONIBUS...

PLACE:

JENAE

DATE:

1906

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Reeder, Hermann, 1882-
De codicibvs in Ciceronis orationibvs Caesarianis recte aestimandis; dissertatio philologica qvam scripsit... Hermannvs Reeder... Ienae, typis G. Nevenhahni, 1906.
46 p. 28½ cm.


Thesis, Jena, 1906.

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202






Centimeter



Inches



DE CODICIBVS IN CICERONIS ORATIONIBVS CAESARIANIS RECTE AESTIMANDIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

HERMANNVS REEDER

DESSAVIENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMVI

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

Jena, den 7. März 1906.

Professor D. Dr. Gelzer,
d. Zt. Dekan.

§ 1. In studiis criticis trium orationum quae nomine Caesarianarum comprehenduntur tres quasi aetates distingui possunt, quarum una protulit editionem Iohannis Casp. Orelli secundam, cum altera paene usque ad proximi saeculi finem pertineat: tertia denique incipit ab anno 1892, quo A. C. Clark collationem codicis Harleiani sive Coloniensis in lucem edidit. — Cum prima aetate critici in Caesarianis aut omnibus aut singulis emendandis et ad veram formam revocandis ita elaborarent, ut neque apparatu critico satis pleno uterentur et suo arbitrio potius quam iudicio auctoritate eorum codicum, quos fors obtulit, niterentur, factum est, ut hodie eorum editiones nullum aut paene nullum locum in re critica habeant. Anno denique 1856 editione Iohannis Casp. Orelli altera emendatiore, quam I. Georgius Baiter et Carolus Halm curaverunt, primum certa quaedam fundamenta parata sunt. Qua in re vehementer querendum est, quod Marcellinam et Ligarianam curavit Baiter 'suo more paucis codicibus contentus' [1]), Deiotarianam Halm, qui apparatu critico quam plenissimo uti maluit. Quae cum ita essent, accidit, ut aliter in orationibus primo loco allatis libros scriptos aestimandos esse falso putarent viri docti, aliter in Deiotariana: quam rem cognovisse summo merito est tribuendum Alberto C. Clark, qui fundamenta omnibus Caesarianis eadem esse plane demonstravit [2]). Baiter autem in Marcellina recensenda quinque codicibus nixus est hisce: Gemblacensi sive Bruxellensi (B) [3]), Erfurtensi (E), Fuldensi (F), Mediceo (M), Tegernseensi (T) sive


1) Cf. C. F. W. Mueller: M. T. Ciceronis scripta, quae manserunt omnia. (Lips. 1898) p. II vol. III adnot. crit. p. 65, 83, 93 et alias; A. C. Clark: M. T. Ciceronis orationes. (Oxonii 1901) vol. VI praef. p. 2.

2) Cf. Classical Review 1900 p. 249 sq., 399 sq.: 'The textual criticism of Cicero's Philippics and of the orations before Caesar.'

3) Sequimur in hac nota adhibenda Carolum Halm; Baiter hunc codicem G littera significavit.

1*

Monacensi, qui in huius orationis § 15 mutilus desinit. In Ligariana idem Gemblacensi, Erfurtensi, Coloniensis Graeviani collatione contentus fuit. Contra Halm in Deiotariana octo librorum auctoritate est usus, scilicet praeter B E F Col. horum: Gudiani 2 (D), Gudiani 335 (G), Oehleriani nunc Gissensis (R), Salisburgensis nunc Monacensis (S). Ex his cognatos esse quattuor illos codices BDES et GRF, nimirum virtute praecellere B et E idem docuit. Quos libros ita est secutus, ut ad eos se non applicaret, 'si ratio alias lectiones praeferendas esse persuaderet' [1]). Cuius viri doctissimi auctoritatem in libris aestimandis omnes huius secundae aetatis editores plus minusve secuti sunt, quamquam non defuerunt, qui novos libros manu scriptos adsciscerent, ut C. L. Kayser Ambrosianum (A), Petschenigius in Marcellina Admontanum. Ambrosianum obiter commemoratum C. F. W. Mueller in orationibus 'pro M. Marcello' et 'pro Q. Ligario' habitis neutri familiarum a Carolo Halm constitutarum, in Deiotariana autem deterioribus quos vocant codicibus attribuit: unde apparet eum hoc libro sine certa ratione usum esse. Ceteroquin criticus ille sagacissimus de auctoritate codicum orationis 'pro rege Deiotaro' habitae similiter atque Halm iudicat, cum dicit: 'cognati sunt BDES, quos Halm nota C complectitur, et GRFA (nos signamus litt. H), utrique satis inter se diversi ita, ut plerumque BDES paulo integriores, GFRA magis corrupti sint, non semper' [2]). Cum igitur Mueller Ambrosianum alteri classi deteriori adiudicet, H. Nohl primus certis argumentis confirmari posse putat A codicem in eandem quam GRF familiam includendum esse; archetypum autem ex GRF et A restituendum meliorem verae scripturae testem esse quam BDES [3]). Atque stemmate codicum affinitatem illustrare studuit tali:



1) Cf. M. T. Ciceronis opera, quae supersunt omnia ex rec. Io. Casp. Orellii. Editio altera emendatior (Turici 1856) vol. II p. I, p. XII.

2) V. C. F. W. Mueller l. c. annot. crit. p. 95.

3) De tota hac quaestione accurate agitur hisce locis: Wochenschrift für klass. Philol. 1887, 1198—1202; Fleckeisens Jahrb. 1888 p. 137—141, 398—400.

Quamquam hac controversia ipsa studia critica mediocriter promota sunt, utpote cum Nohl ipse omnibus rebus disceptatis certis adversarii argumentis coactus concedat codicem x redintegratum fide non multum superare alterius β familiae consensum, tamen illa argumentatio viri docti, qui summam Ambrosiani auctoritatem magis divinavit quam ostendit, posthac multum valuit. Unde fit, ut Nohl quasi in tertiam, quam vocamus aetatem promineat, qua Ambrosiano una cum (Coloniensi sive) Harleiano et Vossiano maxima attribuitur auctoritas. De his autem codicibus ceteris melius meritus est Clark, qui disputatione diligenti effecit, ut hodie fundamenta trium illarum orationum optime cognoverimus [1]). Cuius editione brevi, sed satis idoneo apparatu critico ornata omnes priores ita superatae sunt, ut in crisi parvum locum habeant. Idem vir doctus etiam Coloniensem Graevii, praestantissimum codicem, qui deperditus habebatur, h. e. Harleianum 2682, iterum in lucem protraxit et hoc libro aliisque nunc primum collatis [2]) nixus egregie demonstravit in libris scriptis Marcellinae et Ligarianae aeque ac Deiotarianae aestimandis rationem eandem valere. Omnino autem tres codicum familias discernendas esse dicit, quarum 'prima eademque optima (α) constat ex AHV, secunda (β) ex BDEL, tertia (γ) ceteros complectitur. Ex α optimus est H, A et V paene gemelli sunt, e β praestat D, proximus est B, pessimus E, ex γ in Marcellina et Ligariana m (Mediceus L 45), in Deiotariana g (Gudianus 335) familiam ducit' [2]). Nihilominus post Clarkium viri docti de fide H codicis dubitaverunt, quorum alii quamquam de α classe magni aestimanda cum illo consentiunt ut Nohl, in Harleiani tamen verba eum nimis iurasse contendunt; alii, ut G. Laubmann, certis argumentis comprobari posse arbitrantur, Harleianum (H) classi deteriorum quos vocant attribuendum esse, quia saepissime magna librarii licentia interpolatus sit. Qua de sententia verba non faciemus, quippe quam res ipsa refutet; in universum autem Clarkium de α codicum summa fide auctoritateque recte iudicasse libenter concedimus: nisi quod de opinione, quam de archetypo ex AHV restituendo profert, merito

1) Cf. Class. Rev. l. c. et Anecdota Oxoniensia Class. S. VII (92) p. XXIX sq.

2) Cf. Clark ed. praef. p. 2.

dubitatur. Quod Nohl γ (= α Nohlii) et α ad unam eandemque familiam pertinere contenderat, Clarkio secus videtur esse, cum γ additamentis et interpolationibus valde referti sint. Eidem critico 'persuasum est et β et γ ex α quasi e puriore quodam fonte derivatos esse, alia tamen alios, ut fit, conluvie sensim foedatos' [1]). Neque vero iniuria Nohl huic sententiae repugnat; nam etsi γ codices ex α classe derivatos esse concedendum esset, tamen idem de β familia dici non licere [2]). Sed cum ille sententiam argumentis non confirmaverit, paucis nunc cur β ex α archetypo manasse verisimile non sit, comprehendere visum est.

Atque primum quidem ordo verborum primae et secundae classium haud paucis locis dissentit; conferas exempli gratia hos locos [3]): Marc. §§ 1, 8. 4, 20. 5, 24. 6, 9. 7, 16. 12, 1. 15, 9, 13. 17, 23. 20, 19. 21, 27. 25, 9, 11, 19. 29, 27. 34, 10, 15; Lig. §§ 7, 22, 26. 11, 4. 17, 23. 18, 9. 27, 17. 31, 8. 33, 19, 22. 34, 8. Deiot. §§ 1, 3. 6, 26. 11, 26. 12, 8. 16, 23. 20, 7. 21, 15. 22, 5, 6. 23, 13. 26, 25. 27, 6. 29, 5. 37, 12, 20. 38, 25. 39, 7. 42, 5. Quibus exemplis perlustratis dicendum est verborum collocationem interdum in utraque classe defendi posse, non semel alterius classis praeferendam esse, ut Marc. §§ 4, 20. 25, 12. 29, 27. Lig. § 33, 19, 22, plerisque locis α codices cum usu Tulliano (ex. c. Marc. § 1, 8) [4]) tum lege clausularum [5]) (Marc. §§ 7, 16. 21, 27; Deiot. §§ 16, 23. 38, 25) confirmari atque comprobari [6]). —

1) Cf. Clark ed. praef. p. 3.

2) Cf. H. Nohl: Ciceros Reden für Q. Ligarius und für den König Deiotarus. (Leipzig 1902) p. 52.

3) Sequimur Clarkii editionem in locis afferendis.

4) Cf. C. F. W. Mueller l. c. annot. crit. p. 90 sq.

5) De hac quaestione optime meriti sunt Iulius Wolff ('de clausulis Ciceronianis.' Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. B. 20 (1901) p. 581—615) et Th. Zielinski ('das Clauselgesetz in Ciceros Reden. Grundzüge einer oratorischen Rhythmik. Leipzig 1904).

6) Quod Clark dissensionem in verborum ordine tribus quidem locis (Marc. §§ 25, 12; 29, 27; Lig. § 33, 19) signum interpolationis esse censet, male opinatus esse nobis videtur; de quibus locis adnotationes Eberhardi conferri iubemus. In Marc. § 25, 19 autem, ubi pronomen *tuae* in α post *quidem*, in β ante hoc verbum positum est, certo dissensio interpolationem videtur indicare, id quod praeter alia testimonium scholiastae Gronoviani, qui illam vocem non habet, demonstrat (cf. etiam, quae Eberhard ad hunc locum adnotat).

Deinde in β familia reperiuntur nonnumquam verba, quae quamvis in α classe praetermissa, tamen genuina sunt habenda, cum et necessaria sint et maiorem quandam vim addant, quam desiderare nolimus; velut quaedam voces in α negleguntur Marc. §§ 6, 8. 7, 10. 11, 24. 31, 9. 34, 17; in Lig. §§ 13, 19. 18, 14. 19, 15. 21, 15. 24, 12. 27, 13. 28, 29. 36, 29; in Deiot. §§ 19, 5. 27, 11. 28, 22. [1]) 29, 30 alias. Quibus locis fieri non potest, ut β codices ex α derivati sint, cum illa verba in primae classis archetypo non exhibeantur. Neque vero a librario β familiae interpolata esse de industria est cur coniciamus. Plerisque locis ne Clark quidem auctoritatem fidemque alterius classis neglegere ausus est, sed eam contra primam est secutus, ut merito miremur, quod β ex α fluxisse contenderit. — Tum in α classe glossemata falso adiecta exstant, quibus β codices carent; quae inveniuntur, ut exempla afferam, in Marc. §§ 2, 12. 4, 15. 9, 7. 15, 8; in Lig. §§ 3, 12. 23, 7. 29, 12; in Deiot. §§ 13, 16. 30, 26. Si β ex α descripta esset, certe mirum videretur, quod, quas α exhibet lectiones, in altera classe prorsus desiderarentur, praesertim cum in hac familia saepissime talia vitia insint. — Denique complures loci inveniuntur, quibus prima classis vitia exhibeat, cum β familia una genuinam lectionem servaverit; sunt autem hi:

		α	β
Marc. §§	5, 1	*illustratae*	*lustratae*
	22, 15	*pendere omnia*	*pendere omnium*
Lig. §§	21, 13	*domo*	*domi*
	21, 17	*virorum*	*verborum*

1) Iniuria hoc loco Clark auctoritate β codicum nimis confisus *cuncta*, quod ipse non necessarium putat, in contextum recipit, *exacta* in α omissum, sed a natura sermonis flagitatum, ut praegresso *ineunte* respondeat, glossema dicit. Suspicamur *exacta iam aetate* aut *iam exacta aetate* Ciceronem scripsisse, cum utriusque classis lectiones demonstrare videantur in archetypo supra vocem *iam* scriptum fuisse *cuncta uel exacta*. Primae classis librarius neutri voci fidem attribuit et omisit, β autem classis utramque in textu posuit: *cuncta* ante *iam*, post hoc verbum *exacta*. Ex illis coniecturis prolatis *exacta iam aetate* alteri nescio an praeferam, quod antecedenti *ineunte* aptissime opponitur; ceterum haec collocatio quater (Quinct. 99, Cael. 43, 76, Caec. 70) in oratt. invenitur, cum illa bis tantum (Verr. III 3, Cael. 18) exstet.

Lig. §§	30, 18	*quaerere*	*quaere*
	30, 22	*ad*	*apud*
Deiot. §§	15, 13	*quoniam*	*quonam*
	17, 7	*Philippum*	*Phidippum*
	20, 10	*modo*	*modeste*
	21, 19	*perdunt(-ent)*	*perduint*
	30, 14	*repudiaritis*	*repudiaretis*
	31, 5	*confero*	*comparo* [1]
	32, 9	*perductus*	*productus*
	41, 26	*Artignus*	*Antigonus*

Quae cum ita sint, et ex α et ex β classe ad archetypum utriusque familiae commune ascenditur: utraque classe ad genuinam contextus formam recuperandam fundamenta parantur. Quod non ita intellegi volumus, quasi β familia α classi par aestimanda sit: quae est sine dubio inferior, sed non ita, ut eam prorsus indignam esse putemus quae respiciatur. Sin concedis codices cum α familiae tum β ex uno eodemque quod olim fuerit archetypo manasse, permultae harum classium variae lectiones facillime explicantur atque optime intelleguntur. Sed haec hactenus.

Vidimus igitur iam ipsis codicum lectionibus quodammodo indicari β classis recensionem non ex α manasse. Sed hanc quaestionem antequam ad finem perducamus altera absolvenda est. Illa autem, quae de α et β classium ratione diximus, hoc quidem loco non potuimus silentio praeterire, ut disputationi insequenti apta fundamenta adscisceremus.

§ 2. Quid de codicum familiis iudicandum sit, in universum constaret, nisi de tertia classe dubitari liceret, num omnino in genuina contextus forma recuperanda ullam vim habeat. Qua in quaestione disceptanda loci auctoritatem non habent nisi ei quibus archetypum tertiae classi commune restitui potest. De hoc autem archetypo restituendo dubitari nequit, ubi omnes libri manuscripti unam eandemque lectionem praebent: in his enim consensus codicum locum archetypi obtinet. Sin autem tertiae classis codices inter se dissentiunt, pro archetypo habenda est in Marc. et Lig. §§ 1—25 m et

1) Sequor hoc loco sententiam Clarkii; cf. autem infra p. 36 sq.

h librorum consensio, ex Lig. § 26 usque ad finem orationis h et σ codicum, cum in Deiot. §§ 1—26 consensus g et h archetypi formam exhibeat [1]). Locos inde ab Deiot. § 26 usque ad finem orationis — aeque atque errores singulis tertiae familiae codicibus proprios — ex hac disputatione excludemus, cum diiudicare non audeamus in hisce paragraphis utrius codicis lectio — γ enim hic ex a σ constat — scripturae archetypi par habenda sit.

Ex quibus redintegrandis locis cum α familia conspirant hi:

Marc.

§§	1, 8	*praeterire nullo modo*	$\alpha\gamma$
	2, 10	*auctoritatem vobis*	$\alpha\gamma$
	2, 15	*vetere*	V γ
	4, 11	*fortunatus cuius*	α h m
	4, 17	*nulla*	α (B) h m
	4, 20	*adfirmo et pace*	$\alpha\gamma$
	5, 24	*regum clarissimorum*	$\alpha\gamma$
	5, 1	*illustratae*	$\alpha\gamma$
	6, 1	*ita*	$\alpha\gamma$
	6, 9	*est prospere gestum*	$\alpha\gamma$
	7, 15	*se societatem*	$\alpha\gamma$
	7, 16	*tuam esse*	α h m
	7, 20	*ea tamen*	$\alpha\gamma$
	7, 27	*faciat*	$\alpha\gamma$
	10, 21	*iam ad*	$\alpha\gamma$
	12, 1	*florescet*	$\alpha\gamma$
		operibus tuis	$\alpha\gamma$
	12, 8	*condicione iure omnes* (*om. iure* m)	$\alpha\gamma$
	13, 15	*ab scelere*	$\alpha\gamma$
	15, 8	*nemo erit*	$\alpha\gamma$
	15, 9	*rerum existimator*	$\alpha\gamma$
	15, 13	*maluisse se*	$\alpha\gamma$
	16, 14	*M. Marcello*	$\alpha\gamma$
	16, 19	*illa*	$\alpha\gamma$
	16, 20	*iam* (*tam* m) *causae*	$\alpha\gamma$
	17, 26	*dico*	$\alpha\gamma$
§§	20, 19	*viris bonis*	$\alpha\gamma$
	21, 27	*numquam tamen*	$\alpha\gamma$
	23, 26	*dilapsa*	H γ
	25, 9	*quaeso istam*	α a h
	25, 11	*meas aures*	$\alpha\gamma$
	25, 19	*quidem tuae*	$\alpha\gamma$
	27, 3	*cum et patriae*	$\alpha\gamma$
	28, 11	*dicenda*	H V γ
	31, 11	*neque omnes*	$\alpha\gamma$
	31, 15	*sit melior*	A V γ
	32, 20	*non sapientiae modo* (*n. m. s.* h)	A V γ
	32, 22	*hodie maxime*	$\alpha\gamma$
	32, 25	*me ipso*	$\alpha\gamma$
	33, 7	*non ut de unius solum* (om. a h), *sed ut de*	α a h
	34, 10	*nota semper*	$\alpha\gamma$
	34, 15	*me omnibus rebus*	$\alpha\gamma$
	34, 17	*unum*	om. $\alpha\gamma$
	34, 18	*magnus hoc*	$\alpha\gamma$

Lig.

§§	1, 6	*scire*	α h m
	2, 6	*et fides*	$\alpha\gamma$
	3, 14	*ad privatum*	$\alpha\gamma$
	5, 29	*illinc ullo*	$\alpha\gamma$
	6, 10	*decorandam M. Cicero*	$\alpha\gamma$

1) Cf. Class. Rev. p. 255 (5). Similiter de a h et a m iudico.

§§ 6,13	*de se occurrat*	αγ
7,22	*qui me*	αγ
7,26	*salutem se put. dare*	αam
10,16	*acuet*	αγ
11,1	*avunculo ne*	αγ
12,14	*sunt itaque*	αγ
13,22	*pugnabis*	αγ
15,3	*in tanta*	αhm
15,7	*qui cum*	αγ
15,8	*cum hi*	αγ
16,13	*coarguere*	αγ
16,16	*tum*	αγ
17,2	*quaeritur*	αγ
18,9	*ex te quisquam*	αγ
19,15	*vero tua*	αγ
19,20	*nec*	αγ
20,5	*tum*	αγ
21,9	*Tuberonis*	αγ
21,15	*scio Tuberonem*	αγ
23,28	*habet*	αγ
24,12	*in qua rex*	αam
26,2	*L. Tuberonis*	αγ
26,8	*essetque etiam*	αγ
26,9	*eas ipsas partis*	αaσ
27,17	*aliquam in reg.*	αγ
27,18	*esset*	αγ
28,29	*venisses*	αγ
29,12	*misericordiae tuae*	αγ
30,12	*equidem*	Aγ
30,21	*et studio*	αγ
30,22	*sic sed*	αhσ
	ad parentem	αγ
31,3	*vultus*	αγ
31,8	*ut dixi causas*	αγ
32,15	*optime*	αγ
33,20	*exterminandi quodvis*	αγ
33,27	*omnem*	αγ
33,1	*viros tecum fuisse*	αγ
33,3	*minabantur*	αγ

§§ 34,8	*futurus fuerit*	αγ
36,29	*necessariis sed*	αγ
38,15	*quam aut me*	αγ
38,17	*te his* (*his te* γ) *daturum*	αγ

Deiot.

§§ 2,10	*solebam*	αγ
2,17	*et ab scelere*	αγ
5,20	*intra parietes*	αgh
5,23	*omnis spectat*	αγ
6,26	*C. Caesar causam*	αγ
6,28	*ei regi* (*rei* gh)	αγ
7,9	*neque — neque*	αγ
7,12	*adfectum*	Hγ
8,15	*quodque*	αγ
8,18	*et clementiam*	αγ
8,22	*in bellis*	αγ
9,3	*ipse aetatis*	αγ
10,3	*ita cum*	αah
10,9	*quique illum*	αγ
11,20	*ei nuntiabatur*	αγ
11,21	*effusam*	αγ
11,24	*ceterorum*	AV(E²)γ
12,3	*nec enim*	αγ
12,5	*illius*	αγ
12,8	*tanto — quanto*	αγ
12,9	*in omnibus*	Vγ
13,16	*non ut*	αag
15,3	*iudicas*	αγ
15,13	*quoniam*	αah
16,23	*audita est*	αγ
16,24	*caderet*	HVγ
17,4	*erant enim*	αγ
	ut te	αγ
17,7	*Philippum*	αγ
17,8	*ab isto*	αγ
18,14	*primum*	αγ
19,23	*quae saepe*	αγ

§§ 20,7	*ante oculos illum*	αγ
21,15	*loci mutandi*	αγ
21,21	*transire*	αgh
22,6	*animo esset*	αγ
22,13	*ad nescio quem C.*	αγ
22,16	*qui missi essent*	αγ
23,17	*audientes*	α(D)ag
24,3	*ei quem*	αγ
	nulla in re	αγ
24,5	*etiam atque ad aciem*	HVag
26,25	*sunt in illo*	αγ
26,28	*reges*	Hγ
26,30	*haec*	Hag

§§ 29,3	*illius*	αγ
29,5	*etiam accusandi*	αγ
29,6	*et non modo*	αγ
30,13	*gener*	AVγ
30,14	*repudiaritis*	αγ
32,9	*perductus*	α(D)γ
34,4	*ducimus*	αγ
34,8	*invidemus*	αγ
36,24	*L. Scipione*	αγ
36,24	*est*	α(D)γ
37,8	*et peperisse*	αγ
38,25	*refert acceptam*	αγ
39,7	*tuum beneficium*	αγ

Quibus tertiae classis locis 150 cum α contra β conspirantibus oppositae sunt 93 lectiones cum β familia facientes, quas nunc conferre liceat:

Marc.

§§ 2,10	*vocem meam*	Lγ
2,11	*conservatam ac restit.*	βγ
2,12	*qui in eadem*	Eγ
2,13	*fuissem*	βam
2,1	*de omni republica*	βγ
4,13	*ei merito*	βγ
4,15	*ullo laudis genere*	βγ
4,18	*tanta*	βγ
6,8	*sibi vindicat*	βhm
7,10	*C. Caesar*	βhm
9,7	*natura insolens*	βγ
10,19	*effudit*	Dhm
11,22	*tu igitur*	βah
11,24	*C. Caesaris*	βγ
11,27	*ut nulla*	βah
11,29	*non aliquando*	βγ
12,1	*lenitas animi*	βhm
	ita ut	βγ

§§ 12,2	*adferat*	BEah
12,3	*ante aequitate*	βγ
12,4	*ipsum vicisti*	βγ
12,7	*quae illa erat adepta*	βγ
17,23	*Martis vis*	βam
17,24	*fieri posset*	βγ
19,16	*est* om.	Bγ
22,15	*pendere omnium*	βγ
23,22	*credamus*	βγ
25,7	*addo*	βγ
25,12	*tibi satis te*	BDLγ
26,20	*parumne igitur*	BDEγ
29,27	*fuisse videatur*	βhm
29,27	*eis etiam*	βam
31,9	*hoc misero*	βγ
31,12	*eosdem exilio*	Bγ
32,19	*modo habent*	βah
33,29	*sed unde*	BDah
34,8	*communi*	βγ

Lig.

§§ 1, 1	*inauditum*	Eγ
1, 9	*ut opinor*	βγ
3, 12	*qui praetor*	βγ
4, 16	*cuperet effugere*	βγ
7, 24	*mihi nuntium*	βγ
9, 6	*in eadem Africa*	βγ
11, 23	*haec non modo admirabilia* (*sunt* add. γ)	βγ
11, 26	*isti*	βhm
11, 28	*aliud Romae*	βγ
11, 4	*ergo hunc*	DEγ
12, 8	*praemium etiam*	Eγ
16, 19	*utitur*	Ehm
17, 23	*de nullo alio*	βhm
18, 12	*nisi ut*	βγ
18, 14	*bonis civibus*	βγ
20, 1	*Ligarium*	βγ
21, 13	*domi*	βγ
21, 14	*omni denique*	βγ
21, 17	*verborum*	βhm
22, 22	*illum voluisse*	βhm
23, 1	*fuissetis*	βγ
23, 7	*etiam probata*	βhm
24, 10	*igitur in Africam pr.*	βγ
24, 11	*infestam*	βγ
24, 14	*non dubitem*	BEγ
25, 24	*gloriari*	B^{2}DEhm
27, 13	*honos*	βaσ
28, 28	*certe praecipue*	βγ
28, 29	*tibi esset*	βγ
§§ 30, 18	*quaere*	βhσ
31, 26	*Ligario causa non sit*	βγ
31, 6	*fruuntur*	βhσ
33, 22	*uno illo*	βγ
35, 20	*quam — quam*	βhσ
36, 24	*tu eum*	βγ
36, 28	*tot ac talibus*	Eγ

Deiot.

§§ 1, 3	*me multa*	βγ
11, 14	*novis imperatoribus*	BEγ
11, 26	*ad eum legati*	βγ
13, 17	*ad periculum*	Egh
15, 8	*orbis terrarum*	βγ
15, 14	*clarissimo*	Bγ
16, 17	*rectior*	D^{2}BEγ
17, 2	*munerare*	βγ
19, 24	*rex illo ... perfecta re*	Eγ
19, 5	*regio*	βγ
21, 19	*nequam et*	D^{2}γ
21, 20	*in insidiis*	βγ
21, 1	*vindicare*	βah
24, 24	*ait nescio*	βhg
25, 7	*animo* (*erga te* add. γ) *fuit*	βγ
28, 21	*cuncta iam*	βγ
28, 22	*exacta aetate*	BDγ
34, 10	*a te*	βγ
35, 21	*assequi*	(A)βγ

Qui γ classis loci aut cum α aut cum β consonantes demonstrare videntur, tertiae familiae principalem fontem fuisse primam, praesertim cum numerus eorum locorum quibus α cum γ consentit paene altero tanto maior sit quam quot altera et γ codices eandem lectionem praebent. Tertiae autem classis lectiones cum β conspirantes huic familiae illatae atque ita explicandae sunt, ut librarius archetypum codice aliquo secundae classis adhibito

denuo corrigeret, quae correctiones ab ipso probatae atque supra adscriptae paulatim genuinas scripturas expulerunt.

Interdum autem etiam nunc in γ vestigia quaedam utriusque fontis adsciti relicti sunt, velut in Marc. § 11, 26 (*dux es* α: *es et dux* β: *et dux es* γ) et Lig. § 8, 28 (*non dubitem, de Ligari audeam dicere* α: *non dubitem, de Ligari non audeam confiteri* β: *non dubitem dicere, de Ligari audeam confiteri* γ). Aliae scripturae natae esse videntur ita, ut librarius diversas lectiones, quas ante oculos habuit, correxerit et in unam, ipsius iudicio genuinam, scripturam quasi confuderit; conferas e. g. hos locos: Marc. §§ 8, 24 (*victo* αD: *victoriam* BELa: *victum* hm), 14, 24 (*audiendum* αEm: *agendum audiendum* BDL: *agendum audiendumque* ah), 21, 2 (*anexeo ne* V: *an ex hoc* β: *an ex eo* γ), 30, 6 (*erat* αh: *erat enim* β: *erat autem* am); Lig. §§ 2, 20 (*C. Considio* α: *cum C. Considio* β: *cum consule Considio* γ), 5, 27 (*tempus est* [om. H] *quod ... si* α: *t. est* [om. DL] *quod ... quod si* β: *est t. quo ... quod si* γ), 11, 27 (*mores qui usque ad sanguinem incitari solent odio* αa: *mores usque ad sang. incitari solent odio* β: *mores usque ad sang. incitare solent odium* hm), 13, 20 (*precibus ac lacrimis* α: *prec. lacr.* β: *prec. et lacr.* γ), 31, 5 (*tribuis tu* α: *tribuis* β: *tribuisti* γ), 33, 19 (*tres Ligarii retinendi tibi in* α: *tres tibi Ligarii ret.* β: *tres Ligarii tibi ret.* γ); Deiot. §§ 10, 4 (*perparvam in amicitia* α: *perp. amicitiae* β: *perp. inimicitiae* γ), 20, 10 (*modo* α: *modeste* β: *moderate* γ), 22, 5 (*in speculis semper fuisse* αh: *semper in spec. fuisse* β: *in spec. fuisse semper* ag).

Quibus locis pervestigatis non solum probabile, sed paene certum fit tertiam classem nullam omnino auctoritatem fidemque in re critica habere eiusque lectiones sine ullo damno sperni atque neglegi posse. Cum res ita sese habeat, vehementer cavendum est, ne γ familiae scripturis, quae primo obtutu bonae atque orationi aptae esse videantur, magis confidamus, quam quae in α vel in β exstent, neve in contextum orationis recipiamus.

Atqui Clark sex locos nisi in γ integros non inveniri arbitratur; sunt autem hi: Marc. § 12, 10; Lig. § 15, 4; Deiot. §§ 13, 15; 18, 17; 19, 5; 24, 23. Quae sententia sine dubio de Deiot. § 19, 5 improbanda est: nam voce *animo* interior Deiotari natura describitur, cum verbo *more* dignitas regi apta notetur, altera igitur notio ad interiorem, ad exteriorem hominis partem pertineat altera. Quam ad interpretationem optime quadrat copula

et iterata: *et animo et more:* ita demum utriusque vocis notio praedicatur, ut opus est. — Idem valet de Deiot. § 13, 15, quo loco γ usitatiorem vocem (*evocatus*) pro rariore (*vocatus*) posuit, et de § 18, 17 eiusdem orationis, ubi iam pridem ab Ernestio vera lectio coniectura inventa est, qui suspicatur oratorem *Iovis ille quidem* pro *illius* scripsisse: quam lectionem postea Madvig quoque disertis verbis atque iustis argumentis defendit[1]. Sin Clark auctoritate codicis a ex γ classe nixus verbum *quidem* tollit, male fecisse nobis videtur; nam neque sensus melior fit quam ex illa lenissima coniectura, neque huius libri fides tanti aestimanda est, ut eius scriptura utique recipienda sit. *Quidem* in a, nisi consilio sublatum est, simplici neglegentia scribentis intercidere potuit; *illius* autem quod exstat in codicibus ad nomen antecedens accommodatum est, ut crebrius accidit[2]. Relicti sunt tres loci, qui sane ex antiquissimo codice hausti esse videantur; quarum lectionum quae exstat Marc. § 12, 10 (*invictus es*) Petschenigio praeeunte C. F. W. Mueller[3] non sine causa in suspicionem vocavit, ut re vera duae tantum scripturae in γ classe tales sint, de quibus nemo aliter sentiat: altero loco in Lig. § 15, 4 exstante *per te* recte geminata sunt, altero in Deiot. § 24, 23 *veteres* praetermissum est. Ex quibus hic non satis certus videtur: constat enim *veteres* sic scribi non posse, quamquam quid hoc vocabulo faciendum sit, minus constat. Aut est glossema ad voces *non optimos* adscriptum aut traiciendum cum Clarkio (*ad tuum veterem equitatum*). Altero loco (Lig. § 15, 4) is qui γ codicem scripsit propter *inquam* verba *per te* recte bis posuit, quae coniectura nobis quasi ultro obtruditur. Aeque ac nos contextum scriptorum veterum corrigimus etiam hic librarius vitia quaedam aperta sentire et recte emendare potuit. Quod hoc loco accidisse eo magis putabimus, quod librarium suo iudicio usum esse saepius iam cognovimus.

Quibus explicatis dubium esse iam non potest, quin tertia γ classis omnino indigna sit, quae in crisi exercenda respiciatur. Itaque illam ex disputatione in-

---

1) Cf. Madvig opusc. ac. II p. 314 sq.

2) Cf. Marc. §§ 12, 4; 16, 19; 32, 25; Lig. §§ 3, 14; 32, 15; aliisque locis.

3) Cf. C. F. W. Mueller l. c. adnot. crit. p. 92.

sequenti excludemus, ne inutili sarcina oneremur, atque revertemur ad quaestionem de primae et secundae classium ratione, quam supra constituere coepimus.

§ 3. Ad Caesarianarum codices, quos modo tractavimus, accedunt quasi supplementum apparatus critici testimonia quae per scriptores Latinos ad nos propagata sunt. Grammatici enim ac rhetores aliique auctores ex his orationibus permultos locos excerpserunt, ut leges quasdam ad grammaticam rhetoricamque spectantes vel alias res exemplis illustrarent. Quorum etsi editores fere semper suis locis mentionem fecerunt, tamen non semper eo modo quo digni sunt adhibiti esse videntur ad genuinam Ciceronis lectionem constituendam et ad libros scriptos recte aestimandos. Quorum locorum numerus tantus est, operae ut pretium sit accuratiorem disputationem de singulorum auctorum fide instituere quaeque ratio inter eorum verba et codices Tullianos intercedat demonstrare: sic demum quaestio quae est de artis criticae fundamento absolvi posse mihi visa est.

Omnium autem scriptorum, quos tractare nobis proposuimus, praestantissimus est Quintilianus[1], qui cum temporum ordine ad Ciceronis ipsius aetatem proxime accedit, tum longe plurimos locos, ex una Ligariana scilicet, attulit. Cuius testimonia cum multo vetustiora sint quam codicum hodie exstantium lectiones, quae facile manibus librariorum depravari potuerint, sine dubio ex puriore fonte quam quo nos utimur hausta esse possunt. Itaque ab hoc scriptore initium capiamus.

Ex serie duorum et quadraginta exemplorum, quae rhetor affert, complura bis[2] vel ter[3], unum vel quinquies[4] laudat, ut duodetriginta loci reliqui sint, quorum nullus ad eadem orationis verba spectet. Locorum autem iterum vel saepius allatorum nonnulla exstant exempla apud ipsum auctorem, quae vario modo

---

1) Cf. Fr. Schoell: Zu Ciceros Ligariana. Rhein. Mus. f. Phil. N.F. LV (1900) p. 489—500.

2) Cf. XI 3, 108 et 110; IX 4, 73 et 105; IV 1, 67 et IX 2, 51; IV 2, 109; IV 2, 109 et XI 3, 162; IV 2, 131 et XI 3, 162; IV 2, 51 et 110; XI 3, 166 et IX 2, 28; V 13, 5 et IX 2, 29; VIII 5, 7 et IX 4, 107.

3) Cf. IX 4, 92 et XI 3, 108 et 110; V 13, 5 et IX 2, 29 et IX 4, 102; IV 2, 109 et 131 et XI 3, 162.

4) Cf. VIII 4, 27 et VIII 6, 12 et IX 2, 7 et IX 2, 38 et XI 3, 166.

exhibentur. Sunt loci hi: 1. *cum esset nulla belli suspicio* IV 2, 109[1]); *cum esset in Africa nulla belli suspicio* XI 3, 162. 2. *non modo nullum ad bellum* IV 2, 51[2]); *non modo ad bellum* IV 2, 110. 3. *belli suspicionem* IV 2, 51; *suspicionem belli* IV 2, 110[3]). 4. *Quid enim tuus ille Tubero destrictus in acie* VIII 4, 27 et IX 2, 7 et XI 3, 166 et VIII 6, 12[4]); *Quid enim tuus ille Tubero in acie* IX 2, 38. 5. *quid aliud egimus* V 13, 5; *quid autem aliud egimus* IX 2, 29[5]). Quas varias lectiones, quarum una semper cum codicibus servatis consentit, triplici ratione explicari licet. Primum librarius quidam doctus ad Quintiliani librum manuscriptum adsciscere potuit codicem Tullianum, ex quo suum exemplar emendavit. Haec autem ratio non solum per se parum probabilis est, sed iure ac merito etiam illud mirum videtur esse, quod ille Quintiliani verba cum Cicerone in concordiam revocare cum studeret, alterum ad codicem adaequavit, alterum non adaequavit. Altera ratio ea est, ut librarium, qui institutionem oratoriam neglegenter describeret, alterum locum ab codicibus Ciceronis abhorrentem corrupisse dicamus. Cui etsi vitia quaedam, velut discrepantiam quae est in verborum collocatione (IV 2, 51 et 110) atque omissiones crimini verti licet, tamen certa ne haec quidem ratio putari poterit, praesertim cum XI 3, 162 dubium esse non possit, quin haec varietas ad Quintilianum ipsum referenda sit, et aliis institutionis locis, ubi easdem sententias saepius attulit, pares dissensiones inveniantur. Cuius rei luculentissimum exemplum in Milonianae § 85 spectatur, ex qua auctor unum eundemque locum sexies laudat ita, ut discrepantiae reperiantur hae: IX 2, 38: *vos enim iam ego, Albani tumuli atque luci;* XI 1, 34: *vos enim iam Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque testor, vosque Albanorum obrutae arae, sacrorum populi Romani sociae et aequales;* XII 10, 62: *vos enim Albani tumuli atque luci, vos, inquam, Albanorum obrutae arae, sacrorum populi Romani sociae et aequales;* XI 3, 115 et 167: *vos Albani tumuli atque luci;* XI 3, 172: *vos Albani tumuli.* Videmus unum

1) Cf. Lig. § 2.
2) Cf. § 4.
3) Cf. ib.
4) Cf. § 9.
5) Cf. § 10.

eundemque locum apud unum eundemque auctorem saepius allatum praebere admodum varias lectiones, quarum ne una quidem cum Ciceronis verbis quae in codicibus nostris insunt conspirat. Libri enim Tulliani exhibent haec: *vos enim iam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro et obtestor, vosque, Albanorum obrutae arae, sacrorum populi Romani sociae et aequales.* Cum autem talia exempla non singularia exstent, sed saepius inveniantur, velut in eiusdem Milonianae §§ 7[1]) et 102[2]), in Phil. II §§ 63[3]) et 64[4]), in Verg. Georg. II 541[5]), nullo modo fieri potest, ut omnes illae varietates librario vel casui attribuantur. Immo cum librarios locum hunc vel illum ex recordatione ad alterum similem accommodasse notum sit, omnibus rationibus accurate perpensis verisimillimum est Quintiliano ipsi culpam discrepantiae locorum saepius allatorum tribuendam esse.

Sed priusquam accedamus ad ipsius Ligarianae locos examinandos, videamus qua ratione rhetor aliorum scriptorum locos attulerit, ex qua de Ligarianae locis probabilem faciamus coniecturam. Qua in re poetarum Romanorum locos allatos iure praeter ceteros pervestigabimus, apud quos fides auctoris melius perspiciatur, quam apud scriptores pedestri oratione usos, cum apud poetas versus Quintiliano vincula quaedam iniciat.

Ac primum quidem praeter locos cum libris manuscriptis consentientes tales non desunt qui apud rhetorem libere commutati sunt, prout oratio flagitare videbatur: velut ex Catullo: Quint. VI 3, 18 *nulla est in corpore mica salis* = Cat. c. 86, 4 *nulla in tam magno est corpore mica salis;* Quint. XI 1, 38 *utrum Caesar ater an albus homo sit* = Cat. c. 93 ... *Caesar* ... *utrum sis albus an ater homo;* ex Horatio[6]): Quint. VIII 2, 9 ... *acrem tibiam* = Hor. c. I 12, 1 *acri tibia;* Q. X 1, 63 *Alcaeus* ... *aureo plectro* ... = Hor. c. II 13, 26 ... *aureo, Alcaee, plectro;* Q. X 1, 94 *fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis* = H. serm. I 4, 11 *cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;* Q. V

1) Cf. Quint. V 11, 12 et V 14, 20.
2) Cf. VI 1, 24 et XI 3, 172.
3) Cf. V 10, 99 et VIII 4, 10.
4) Cf. IX 2, 26 et IX 3, 29.
5) Cf. VIII 6, 45 et IX 3, 20.
6) De locis Horatianis cf. Fr. Vollmer: Die Ueberlieferungsgesch. des Horaz. Philol. suppl. X p. 267.

11, 20 *quod dixit vulpes aegroto cauta leoni* = H. epist. I 1, 73 *olim quod volpes aegroto cauta leoni Respondit;* Q. XI 3, 80 *corrugare nares* = H. epist. I 5, 23 *corruget naris;* Q. X 1, 24 *cum ... dormitare ... Horatio ... etiam Homerus ipse videatur* = art. poet. 359 *quandoque bonus dormitat Homerus;* Q. X 1, 56 *quid? Horatius frustra Tyrtaeum Homero subiungit?* = art. poet. 401 *post hos insignis Homerus | Tyrtaeusque mares animos in Martia bella Versibus exacuit;* ex Vergilio: Q. VIII 4, 25 *cum vix loricam duo multiplicem conixi umeris ferunt, quantus Demoleos, qui indutus ea cursu palantis Troias agebat?* = Aen. V 263—265 *vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant | multiplicem conixi umeris; indutus at olim | Demoleos cursu palantis Troias agebat;* Q. VIII 6, 41 *tristis senectus* = Aen. VI 275 *tristisque senectus;* Q. XII 10, 61 *pontem indignetur* = Aen. VIII 728 *pontem indignatus;* Q. VIII 6, 40 *dentes albos* = Aen. XI 681 *cum dentibus albis;* Q. X 1, 56 *numquam certe conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis mentionem* = ecl. X 50 *ibo et Chalcidico quae sunt mihi condita versu | carmina* e. q. s.

Porro contracti sunt hi loci: ex Horatio: Q. IX 3, 17 *nec ciceris nec longae invidit avenae* = serm. II 6, 83 *neque ille Sepositi ciceris nec longae invidit avenae;* Q. IX 3, 65 *brevis esse laboro, obscurus fio* et quae sequuntur = art. poet. 25; ex Ovidio: Q. V 10, 41 *ante rates agimus causam et mecum confertur Ulixes* = met. 13, 5 *agimus, pro Iuppiter, inquit, ante rates causam, et mecum confertur Ulixes;* ex Terentio: Q. IX 3, 18 *accede ad ignem, iam calesces plus satis* = Eun. I 2, 5 *accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis;* ex Vergilio: Q. IX 3, 53 *hic illum vidi iuvenem — bis senos cui nostra dies — hic mihi responsum primus dedit ille petenti* = ecl. I 43 ... *hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quodannis Bis senos cui nostra dies altaria fumant. hic mihi responsum primus dedit ille petenti;* Q. VIII 2, 9 *deductum carmen* = ecl. VI 5 *deductum dicere carmen;* Q. IX 3, 96 ... *excoquitur vitium*, et totus locus, *seu pluris calor ille vias — seu durat magis* = georg. I 88—92 ... *excoquitur vitium atque exsudat inutilis umor | seu plures calor ille vias et caeca relaxat | spiramenta, novas veniat qua sucus in herbas; | seu durat magis;* Q. IX 3, 6 *oculis capti talpae* = georg. I 183 *oculis capti fodere cubilia talpae;* Q. V 9, 15 *vento rubet aurea Phoebe* = georg. I 431 *vento semper*

rubet aurea Phoebe; Q. I 5, 35 *medio cortice* = georg. II 74 *medio trudunt de cortice gemmae.*

Denique inter Quintiliani et auctorum verba intercedit dissensio his locis: Q. IX 3, 16 *dum innupta manet, dum cara suis est* = Cat. c. 62, 45 *dum intacta manet* e. q. s.; Q. IX 3, 18 *Fabriciumque | hunc et intonsis Curium capillis* = Hor. c. I 12, 40 (et Servius) *F. hunc et incomptis C. c.;* Q. III 1, 4 *ac veluti pueris ... inspergunt ... liquore* = Lucr. IV 11 (*nam vel.*) I 936 *sed veluti ... contingunt* (utroque loco) ... *liquore;* Q. IX 2, 9 *heu quae me tellus inquit, quae me aequora* = Verg. Aen. II 69 *heu quae nunc tellus* e. q. s.; Q. II 13, 8 *praecipiam ac repetens* = Aen. III 436 *praedicam* e. q. s.; Q. VII 9, 10 *caelo decurrit aperto* = Aen. V 212 *pelago dec. ap.;* Q. IX 3, 15 *tam magis illa tremens* = Aen. VII 787 *t. m. i. fremens;* Q. IX 2, 49 *meque ... caedis ...* = Aen. XI 383 sq. *meque ... stragis;* Q. IX 3, 14 *vel ... iurgia iactat* = Aen. XI 406 *vel ... iurgia fingit;* Q. IX 4, 85 *agrestem tenui musam* = ecl. I 2 *silvestrem t. m.;* Q. IX 3, 8 *qui non risere* = ecl. IV 62 *cui n. r.;* Q. VIII 6, 46 ... *veteris iam fracta cacumina fagi* ... ecl. IX 9 ... *veteres ... fagos;* Q. IX 3, 20 *haut secus ac pat.* = georg. III 346 *non secus ac pat.* ... Varietates locorum modo allatorum tales sunt, ut Quintilianus sine dubio quinque locis lectiones praebeat falsas: III 1, 4 *ac* pro *nam* vel *sed;* IX 2, 9 *me* pro *nunc* (*me* ad sequens *me* adsimulatum videtur esse); VII 9, 10 *caelo* pro *pelago;* IX 4, 85 *agrestem* pro *silvestrem* (versum cum ecl. VI 8 confudit) [1]; IX 3, 8 *cui* pro *qui* [2]. Saepius lectiones exhibentur, quae parem vel similem quendam sensum habent atque per se ad metrum quadrant: IX 3, 16 *innupta* pro *intacta;* IX 3, 18 *intonsis* pro *incomptis;* III 1, 4 *inspergunt* pro *contingunt;* II 13, 8 *praecipiam* pro *praedicam;* IX 3, 15 *tremens* pro *fremens;* IX 2, 49 *caedis* pro *stragis;* IX 3, 20 *haut* pro *non.* Quibus locis Quintilianum codicibus servatis cedere oportere certum est, cum, ut librorum lectio interdum exquisitior vel naturae orationis aptior est altera, ita rhetori locos memoriter citanti pro auctoris verbo alterum, quod idem vel simile quiddam significat, in memoriam venisse probabile sit. Dubitari licet num duobus locis, qui reliqui sunt (IX 3, 14 *iactat* pro *fingit* et VIII

1) Cf. Caroli Halm adnotationem ad hunc locum (p. II p. 187).
2) Cf. Caroli Halm adnotationem ad hunc locum (p. II p. 147).

6, 46 *veteris* ... *fagi* pro *veteres fagos*), auctoritatem Quintiliani sequamur oporteat; sed ne his quidem editores ausi sunt scriptoris verba in textu ponere neque nos audebimus lectionem eius commendare.

Omnes autem rhetoris loci ex poetis allati eorumque dissensio cum codicibus hanc praebent explicationem: auctor, qui praeceptor artis rhetoricae discipulis veterum scripta explicavit atque interpretatus est, sine dubio commentariis quos scripserat usus est. Quos certe adscivit, cum aetate iam provecta institutionem oratoriam componeret. Praeterea usu atque exercitatione earum rerum, quas in institutione tractare sibi proposuit, tam peritus factus erat, ut fretus ingenio multos locos etiam ex memoria afferre posse sibi videretur. Ita facile intellegitur, quomodo fieri potuerit, ut IX 4, 85, ubi Verg. ecl. I 2 verba *silvestrem tenui musam* laudat, pro *silvestrem* poneret *agrestem*. Quod verbum cum eisdem aliis coniunctum in ecl. VI 8 recte exhibetur et a Quintiliano ex memoria citante huic alteri loco illatum est. Simili modo multae aliae lectiones rhetoris a codicibus abhorrentes explicandae sunt. Dissensiones autem illae demonstrant ea quae auctor affert verba cum diligentia adhibenda atque singulos locos cum cura examinandos esse, ne in errorem inducti scriptoribus reddere studeamus quae eorum non sunt. Eadem vero ratione Quintilianum etiam apud scriptores alios, cum apud poetas tum pedestri oratione scribentes, usum esse consentaneum est. Itaque revertamur ad propositum et examinemus locos ex Ligariana allatos.

§ 4. Ex illis duodetriginta locis quattuordecim cum omnibus codicibus consentiunt, alii modo cum hac, modo cum illa classe faciunt, modo omni librorum auctoritate carent. Ac primum quidem afferamus ex hoc numero eos locos, quos Quintilianus et libri Tulliani inter se congruentes habent; sunt autem hi: § 1 *Q. Ligarium in Africa fuisse* (IX 4, 73 et 105); ib. *ausus est confiteri* (IX 4, 93); ib. *quo me vertam nescio* (IX 4, 75); § 2 *habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum* (IX 2, 51 et IV 1, 67); § 3 *domum spectans, ad suos redire cupiens* (IV 2, 110); ib. *nullo se implicari negotio passus est* (IV 2, 110); § 7 *apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum, qui, cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit,*

reipublicae reddidit (IX 2, 14); § 9 *nimis urgeo, commoveri videtur adulescens* (IX 2, 57); ib. *iisdem in armis fui* (IX 4, 99); § 10 *Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus* (V 13, 5; IX 2, 29; 4, 102); § 19 *principum dignitas erat paene par, non par fortasse eorum, qui sequebantur* (IX 3, 36); ib. *causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte quod probari posset; nunc melior ea iudicanda est, quam etiam di adiuverunt* (V 14, 1); § 30 *causas, Caesar, egi multas equidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum, certe numquam hoc modo: ignoscite, iudices; erravit, lapsus est, non putavit; si umquam posthac* (VII 4, 17); § 37 *nihil est tam populare quam bonitas* (VIII 5, 3). Quibus de locis non est, cur copiosius disputemus, cum in his difficultas insit nulla. Consensus autem rhetoris et codicum *αὐθεντίαν* illorum verborum ita confirmat, ut dubitare vix liceat.

Itaque transeamus ad eos locos quibus dissensio inter Quintiliani verba et codices intercedit atque primum tractemus tres locos quibus auctor cum prima classe contra alteram conspirat.

In § 10, ubi α et Quint. (VIII 5, 10) *acuet*, β codices accedente Diomede (Gramm. Lat. I 471, 1) *acuit* praebent, quamquam et praesens et futurum tempus defendi licet[1], tamen futurum praeferendum censemus, quod Cicero statum ex Caesaris iudicio futurum exprimi vult. Nata autem videtur esse lectio β classis accommodatione modorum vel nimio quodam studio concinnitatis, ut in priore aeque ac in sequenti sententia praesens sit. Alter locus in § 2 invenitur: rhetor (IV 2, 109) cum α consonans habet *legatus in Africam C. Considio profectus est*, cum altera classis post *Africam* vocem *cum* offerat. In his viri docti maxime inter se dissentiunt, utra scriptura genuina sit, atque argumenta nonnumquam satis gravia ab utraque parte allata sunt. Ad reiciendam β lectionem proferunt dativum *Considio* cum verbo *legatus* coniunctum apud Ciceronem saepius exstare pro illa vetusta dicendi ratione, quam litterae publice missae praebent, nimirum bis in orationis pro Murena habitae §§ 20, 32. Quam rationem postea parum usitatam fuisse, ut β classis lectio vulgaris et interpolata, scriptura vero α codicum

1) Cf. Aug. Ferd. Soldan: M. Tulli Ciceronis oratio pro Q. Ligario. (Hanoviae 1839) p. 75.

exquisitior esse videretur. Hoc argumentum non tam in usu Ciceroniano, quam in illo antiquissimo positum sane maiorem vim habere mihi videtur, quam quod ei proferunt qui secundae familiae auctoritatem sequuntur nulla re praeter β classis auctoritatem adiuti. Dicunt enim hoc ipso loco post *Africam* illud *cum* facillime intercidere potuisse. Quod sine dubio accidere potuit; neque vero difficilius illa vox adici potuit, cum librarius in subtili dicendi genere offenderet. Accedit autem ad primae classis auctoritatem confirmandam testimonium scholiastae Gronoviani, cuius argumentum tale habet initium: *Q. Ligarius legatus cum Considio fuisset profectus Africam hanc ita administravit* e. q. s. Hic tertius testis, qui inter Quintilianum et libros scriptos intercedit, omnem dubitationem contra α codicum et rhetoris fidem tollit: haec tria testimonia cum Schoellio satis esse putemus ad scripturam *legatus in Africam C. Considio profectus est* comprobandam. — Tertius locus est in § 8, ubi α et Quintiliani Ambrosianus et Bernensis (V 10, 93) conspirantes praebent *vide, quaeso Tubero, ut qui de meo facto non dubitem, de Ligari audeam dicere*, cum in β codicibus *de Ligari non audeam confiteri* exhibeantur. Scripturam β classis Madvig (opusc. ac. II p. 306 n.) comprobare atque confirmare studet, cum dicit ex tota orationis forma manifestum esse contraria hic componi (*non dubitem* i. e. *audeam* et *non audeam*), qua conformatione concinnitas quaedam efficeretur. Eum autem hac in re erravisse Schoell bene demonstravit loco s. c.: qui lectionem ab illo receptam neque ad orationis sensum aptam esse contendit neque ad eam sententiam quam Quintilianus demonstrari vult. Summo iure hoc monet; nam illa verba referenda sunt ad § 6 *M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse.* Postquam insequentibus verbis Caesaris in Ciceronem benevolentia ac liberalitas summis laudibus elatae sunt, dicendum erat Ciceronem, qui, quamquam ipse contra Caesarem maximam sibi culpam peperisset, de suo facto, tanta re, tam libere loqui ausus sit, de Ligari culpa, re minima, multo liberius dicere posse. Qui sensus necessarius nisi lectione α classis non praebetur isque solus Quintiliani sententiae bene convenit. Quae cum ita sint, certe mirum est, quod Schoell testibus scholiasta Gronoviano et altera manu Bambergensis codicis adscitis *de Ligario* legi vult. Uterque enim testis per se pessimus est neque dignus, cui fides habeatur, propterea

quod scholiasta in lemmatis peccat saepissime et Bambergensis lectio secunda demum manu adiecta est. Huc accedit altera res: illa scriptura recepta mihi sensu videtur laborare, cum verba *de Ligario* parum certe dicta sint. Itaque facere non possumus, ut hoc quidem loco viri illius docti sententiam sequamur.

Cum altera β familia Quintilianus uno tantum loco (V 10, 93) conspirat, qui ad § 31 spectat et sic exhibetur: *an sperandi Ligario causa non sit, cum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi?* Prima classis praebet *an sperandi de Ligario causa non erit, cum mihi* e. q. s. Ille subiunctivus *sit* pro *erit* minus apte positus est, quam futurum, cum subiunctivus modus in huius generis sententiis rarissime inveniatur [1]. Accedit, quod *sit* sequenti coniunctivo *sit* adsimulatum esse veri est simillimum; nam tales accommodationes saepius in β classe exstant, velut in Marc. § 11 sq. (*est* ... *florescit*, contra *florescet* α codicum et Lactantii [2]), § 23 (*cupiat* ... *credamus*, ubi *credimus*, quod α habet, lege clausularum commendatur), Lig. § 10 (*est* ... *acuit* pro *acuet* primae classis et Quintiliani). Idem valet etiam de dativo *Ligario* pro *de Ligario* α librorum, qui casus assimulatus est pronomini *mihi* ex nimio studio concinnitatis et melioris responsionis; hoc in β crebro accidisse compluribus ex locis apparet: afferamus Marc. § 4 (*nullius — nulla* α; *nullius — nullius* β), § 12 (*te ipse vicisti* α; *te ipsum vic.* β), § 32 (*de me ipso sentio* α; *de me ipse sentio* β); Lig. § 3 (*ad privatum clamore* α; [*a*] *privato clamore* β), § 32 (*optime homines* α; *optimos homines* β). Quae cum ita sint, α classis lectionem veram esse genuinamque puto contra consensum Quintiliani et β familiae. Nunc autem quaerendum est, quomodo hic consensus natus atque explanandus sit. Quattuor omnino explicandi rationes videntur exstare. Veri dissimillimum videatur esse casu eum accidisse; nam quomodo putabis rhetorem et librarium β classis in hunc errorem incidisse, nisi alter ex altero pendeat? Iam vero si quis ex illa consensione concluderet scriptorem etiam alterius familiae exemplar vetustum novisse atque eo praeter primam classem usum esse, is valde erraret. Nam Quintilianum alterum codicem ab altero diversum adhibuisse,

1) Cf. Richter-Eberhard Caes. ed. (Lpz. u. Brl. [4]) p. 72 n. ad h. l.

2) Cf. Div. Inst. VI 11, 25 (sequor editionem Samuelis Brandt. Vindobonae 1890).

ut unum tantum locum ex hoc libro in artem reciperet, non ita veri est simile. At sunt fortasse, qui putent hominem quendam doctum posterioris aetatis, qui altera Ciceronis classe adscita institutionem scriberet vel emendaret, illas lectiones Quintiliano intulisse. Quod hoc loco non minus probabile esse censeam quam locis bis laudatis. Nescio an aliis haec ratio placeat, de qua certe dubitari licet. Mihi quidem ea praeferenda esse videtur, qua ille error rhetori ipsi crimini vertitur, idque eo magis, quod Quintilianum saepius ex memoria locos attulisse postea videbimus. Itaque rhetoris lectionem nescio quomodo in alteram familiam illatam esse existimo.

§ 5. Age vero animum convertamus ad Quintiliani locos omni librorum fide carentes. Ex quibus quattuor digni esse mihi videntur, qui in contextum orationis recipiantur. Atque primum huius modi exemplum exstat in § 1, pro cuius verbis *ante hunc diem* (quam lectionem etiam Aquila Romanus[1]) exhibet) rhetor (XI 3, 108 et 110) *ante hanc diem* praebet. Quod genus femininum Ciceroni pro usu eius reddendum esse iam pridem C. Wagner[2]) demonstravit accurate, quem nunc unus Eberhard iure ac merito secutus est. Item in § 9 subtilis illa Quintiliani collocatio *quid enim tuus ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius* e.q.s. (VIII 4, 27; VIII 6, 12; IX 2, 7 et 38; XI 3, 166) pro vulgari codicum *quid enim, Tubero, tuus ille destr.* e.q.s. recipienda est[3]). Neque enim dubium esse potest, quin Cicero non tam nomen eius, qui gladium destrictum habebat, quam mucronem ipsum notaverit ita, quasi Tubero illum in actione secum portavisset et apud eum iam inveniri posset. Alia ad rhetoris lectionem defendendam Fr. Schoell loco allato[3]) profert. Quintiliani verborum ordinem meliorem quam codicum etiam in sequenti paragrapho (§ 10) inveniemus. Nam quis est qui neget collocationem verbis *eorum ipsorum* voce *te* seiunctis (Q. VIII 5, 10) exquisitiorem et graviorem fieri quam alteram vulgo receptam: *eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio?* Librarii in audaciore dicendi genere, ut saepe fiebat, offenderunt neque putabant

1) Cf. C. Halm: 'Rhetores Latini minores' p. 24, 23.
2) Cf. Philol. 47 p. 551 et Eberhard ed. p. 52 n.
3) Cf. Schoell l. c. p. 492 n. 2.

Ciceronem ita scripsisse; sed male fecerunt. Quocum loco simillimum Deiot. § 15 conferas, ubi hae variae lectiones exstant: *domi te suae interficere* $\alpha\beta$; *te domi suae int.* Martianus Capella et Cassiodorius; *domi suae te int.* γ. Sine dubio $\alpha\beta$ veram lectionem praebent; sed ut hic ceteri testes ordinem ineptum exhibent, ita in Lig. α et β classes. Quartum locum ad § 15 spectantem iam pridem omnes editores dignum putabant, qui in textu orationis poneretur, sed magis pessimis codicibus nixi quam rhetoris fide, apud quem (VIII 3, 85) *per te* recte iterantur. Cuius scripturae subtilitatem praedicare vix opus est, cum illa pro se ipsa dicat.

Aliter res sese habet locis insequentibus, quibus Fr. Schoell rhetori nescio an nimis fidei tribuerit. Quarum variarum lectionum quattuor partes distingui licet: pertinent aut ad collocationem aut ad omissionem aut ad adiectionem aut ad immutationem. Collocatio verborum tribus locis varia exstitit. Primo loco Quintiliani scriptura *qui nihil soles oblivisci nisi iniurias* (VI 3, 108) pro codicum *qui oblivisci nihil soles* e.q.s. (§ 35) testimonio Lactantii eandem quam libri lectionem exhibentis infirmatur. Altero loco (§ 2) auctor (VIII 5, 13) pro *ullam culpam* codicum praebet *culpam ullam,* qui ordo verborum Schoellio non displicebat. Sed huic critico in defendenda hac lectione concedendum esse vix putabimus Quintiliani ordine vim dicendi acriorem fieri. Certis autem argumentis neque scriptoris neque codicum collocatio confirmari licet, nisi putaveris librorum fidem esse maiorem quam rhetoris saepe ex memoria citantis. Tertio loco (§ 6) Schoell defendit collocationen scriptoris (XI 3, 166) *ut populus hoc Romanus exaudiat* pro librorum *ut hoc populus Romanus exaudiat* et commemorat etiam Orellium, Halmium alios fassos esse illam Quintiliani lectionem, quamquam sane inusitata sit, tamen singularem non exstare. Nihilosecius nostro quidem iudicio iniuria contendit hanc scripturam dignam esse, quae in textu orationis ponatur; nam *populus Romanus* est quasi una vox non dirimenda. Atque loci, quibus viri illi doctissimi haud dubie nisi sunt, alia explicatione utuntur neque idonei sunt habendi, qui cum hoc comparentur. In Arch. enim § 2, ubi *populus enim Romanus,* et in Sest. § 74, ubi *populi quoque Romani* exstant, separatio vocum *populus* et *Romanus* ex lege nemini ignota satis probatur; etiam in Sest. § 129, quo loco *populi ipsius Romani*

invenimus, res aliter atque hic sese habet, quandoquidem pronomen ad notionem populi Romani ipsam referendum est, quod huic loco non convenit. Quibus cognitis cum in orationibus quidem nullum aliud exemplum huic simile reperiatur, Quintiliani collocationem verborum certe singularem dicemus. Quae ita nata videtur esse, ut in contextu *hoc* supra versum scriptum esset, unde in eum locum quo nunc exstat pervenit.

Omissionum exempla inveniuntur duo, quorum alterum (§ 4) — praenomen Caesaris apud Quintilianum (IV 2, 51) deest — haud ita multum valet, cum illa lectio ex haplographia litterae C nata esse possit, alterum (§ 15) naturae rhetoris consentaneum est. Agitur de verbis codicum *si in hac* (α om.) *tanta tua fortuna* e.q.s., ex quibus auctor et *hac* et *tua* neglexit (VIII 3, 85). Cui Schoell se adiungens (l. c. p. 496 sq.) arbitratur hanc lectionem Tullio reddendam esse. Qua in re seductus videtur esse α classis auctoritate, cuius codices vocem *hac* omittunt; iniuria quidem. Nam verba repudiata orationi maxime conveniunt: Cicero in antecedentibus promittit se Caesari plane id, quod sentiat, dicturum esse. Si igitur in eis, quae sequuntur, clementiam Caesaris summam copiosa oratione laudat, talis verborum accumulatio naturae totius loci aptissima videtur neque offensioni esse potest. Una quaeque fere vox sententiae ex hac voluntate profecta est. Accedit, quod hic locus non singularis exstat, sed compluribus aliis huic simillimis confirmatur, in quibus cum substantivo duo pronomina, quorum alterum *hic*, alterum pronomen possessivum est, et adiectivum coniuncta sunt. Conferamus haec exempla: *hunc tantum tuum apparatum* (Phil. VII 27); *huic vestro tanto studio* (Sest. § 36); *omnia haec nostra praeclara studia* (Mur. § 22); *hanc nostram forensem industriam* (ibid. § 34); *huius amantissimi sui fratris* (Cluent. § 13); *ab hac subtili nostra disputatione* (dom. § 142); *de hac imperatoria ... tua laude* (Verr. V 11); *una hac accusatione mea* (ib. § 188). Qui loci demonstrant Ciceronem saepius illa verborum amplificatione usum esse neque in ea ullam difficultatem exstare. Et ipse Schoell pro explorato habendum esse negat *tua* quidem voculam delendam esse, tamen de voce *hac* non dubitat, quin expungi necesse sit adprobantibus prima classe et Quintiliano. Neque vero critico illi assentiri possumus: alteram classem unam servavisse putamus veram scripturam. Quod Quintilianus utrumque illud verbum falso praetermittit, minus notandus est, praesertim cum totus rhetoris locus propter multa vitia quae postea cognoscemus ex memoria allatus esse videatur, quam quod prima familia vocem *hac* non habet. Censeam igitur, ut compluribus aliis locis (v. p. 7), ita hoc loco exemplum exstare, ubi verbum in α classe praetermissum orationi proprium sit habendum [1].

Venimus ad quattuor locos, qui adiectione corrupti videntur esse. Primus est in § 7, ubi Quintilianus (IX 2, 28 et XI 3, 166) ante *etiam* vocem *iam* addidit, quam lectionem Eberhard probavit. Recte autem Luterbacher [2]) admonet utroque loco a Schoellio [3]) collato *iam* praesens tempus exprimere, quod huic loco alienum est. Tertium huius generis exemplum affert Eberhard [4]); sed eadem res est cum ceteris. Gradatio, quam recepto verbo *iam* egregiam fieri Schoell dicit, satis apte alterutro vocabulo est significata. Etsi illud *iam* ante *etiam* facillime excidere potuit (quod Schoellio concedendum est), nihilominus tamen est supervacaneum. Idem convenit etiam alteri loco (§ 7), quo Schoell [5]) teste Quintiliano (IX 2, 28) iterum et cum eo Eberhard *mea* post *voluntate* additum recipiendum esse putavit, cum vi orationis aptum atque MEA ante ADEA in archetypo neglegentia omissum esset. Quod sane rectum est; sed quid demonstrat? Nihil aliud nisi quomodo illa vox excidere potuerit, si omnino genuina fuit. Atque id negemus, quia malus sonus *mea* adiecto exsisteret ac brevitas concinnitasque huic ipsi orationi propria imminueretur. Quam saepe pronomen possessivum falso additum sit, ipse criticus postea (p. 497) compluribus exemplis ostendit, quae etiam augeri licet: Marc. § 25, 19 (tuae), Deiot. § 5, 23 (mea). Diversi generis est tertius locus (§ 15), ubi rhetor (VIII 3, 85) pro codicum lectione *si in hac tanta* e.q.s. exhibet *quod si in hac* e.q.s. Quam scripturam falsam esse et ab usu Ciceroniano abhorrere etiam Schoell [6]) sibi concedendum censet: errorem esse scriptoris, quia in oratione *dicam plane*

1) Quem consensum inter rhetorem et α nunc tractavimus, quod hic locus aptior erat altero.

2) Cf. Jahresberichte des Philol. Vereins zu Berlin 27 (1901) p. 218.

3) Cf. l. c. p. 489 n. 1.

4) Cf. ed. p. 57.

5) Cf. l. c. p. 496.

6) Cf. l. c. p. 497 n. 1.

Caesar quod sentio antecedant. Cuius verba nullam aliam habent explicationem nisi hanc: opinatur criticus auctorem codicem ante oculos habuisse, quo usus errore quodam illud *quod* ante *sentio* cum voce *si,* quae sequitur, coniunxisset. Sed qualis est haec ratio? Quintilianum locum ex memoria attulisse multo facilius statuemus, qua in re usum sermonis suae aetatis pro Ciceroniano posuit. Ultimo quoque loco, qui ad § 38 pertinet, rhetor (VIII 5, 7) post *habet* falso nomen *Caesar* adicit, quod non solum omnes codices, sed etiam ipsa loci natura demonstrat. Si enim Marcellinae et Deiotarianae exitum spectamus, numquam nomen Caesaris sine eius pronomine positum est. Ut in prooemio, ita in exitu harum orationum aptius atque gravius *C. Caesar* dicitur, quam *Caesar,* quod familiariter adhibetur [1]). Quae cum ita sint, etiam hoc in exitu *C. Caesar* exspectatur. Cum autem talem verborum conformationem, qualis necessaria est, in § 37 iam inveniamus atque cum ad Quintiliani lectionem nulla codicum auctoritas accedat, hanc scripturam reiciendam esse putemus.

Quarti generis vitiorum exempla h. e. immutationis, ad quae tractanda nunc progrediamur, exstant quinque; quorum lectiones pro codicum scripturis similem vel parem sensum praebent. Atque primus locus invenitur in § 2, ubi Quintilianus (VIII 5, 13) pro librorum lectione *itaque prius de vestro* e. q. s. exhibet *quare prius* e. q. s. Recte hic Schoell [2]) admonuisse nobis videtur voculam *itaque* in conclusione partis minus usitatam esse quam *quare.* Sed ex hac re concludendum esse Ciceronem ita scripsisse ne ille quidem vir doctus expressis verbis contendere ausus est; atque optimo iure. Certis enim argumentis rhetoris lectio confirmari nequit, cum etiam *itaque* conclusioni inserviat, quamquam rarissime. Cum hoc loco Schoell in dubio relinquat, utrum rhetoris lectio lectioni codicum praeferenda sit necne, altero loco ardentissimus est auctor [2]), ut verba Quintiliani (VIII 5, 13) Ciceroni reddantur. Atque valde miratur, quod critici pro codicum scriptura *delicto confiteamini* verba scriptoris *facto fateamini* allitteratione, ut ita dicamus, optime inter se coniuncta nondum in contextu orationis posuerint, quandoquidem librorum manu scriptorum vox *confiteamini* illis praecedentibus *confiteri* (1, 4)

1) Cf. quae Eberhard annotavit ad versum 7 p. 77.
2) Cf. l. c. p. 498.

— *confitendum* (1, 9) — *confitentem* (2, 14) — *confitentem* (2, 15) accommodata esset. Ut mutationem rhetoris confirmet, locum ex Caecin. § 24 affert, ubi haec leguntur: *illius uti confessione et testimonio: qui confitetur, atque ita libenter confitetur, ut non solum fateri sed etiam profiteri videatur.* Quamquam haec argumentatio primo obtutu rem probare videtur, tamen est debilis, quod natura utriusque loci inter se est maxime diversa. In Caeciniana enim non variatur ut varietur, sed ut exsistat apta oppositio eorum verborum, quae opponi vult orator. Atque quomodo melius id fieri potuit, quam ut voci *profiteri* opponeret simplex *fateri,* quod idem significat atque *confiteri?* Quid? estne Caecinianae locus cum hoc comparandus? Minime [1]). Alterum argumentum quo usus Schoell codicum lectionem labefaciat, in accommodatione verborum posuit. Etsi per se fieri potuit, ut librarius vocem *fateri* verbo *confiteri* saepius iterato adsimularet, tamen hoc loco non est, cur eam rem re vera accidisse putemus. Porro illud *delicto* ex glossemate natum esse dicit pro *facto* nosque admonet similia saepissime exstare in fabulis Plautinis. Quod verum esse apud Plautum libenter concedemus; apud Ciceronem idem valere nondum demonstratum est. Hoc enim loco non tam *delicto* pro *facto* positum est quam contrarium accidisse credamus: Quintilianus illud *facto* ex § 8 (*qui de meo facto non dubitem*), quem locum etiam memoria tenebat, cum haec scriberet, in § 2 transtulit [2]). Quod illam verborum attractionem a Cicerone quaesitam esse criticus censet neque ex rhetoris memoria proficisci potuisse, cogitandum est alterum exemplum huius generis apud Tullium non inveniri. Nisi codices patefacti erunt, qui lectionem Quintiliani comprobent, pro certo haberi nequit eum genuinam orationis formam retinuisse, praesertim cum rhetorem interdum locos memoriter attulisse satis constet. Ciceronem allitterationem quaesivisse Schoell [3]) etiam in § 4 contendit lectione Quintiliani (IV 2, 51) nixus, qui *culpa caret* pro codicum *culpa vacat* praebet. Ad scripturam *culpa caret* confirmandam admonet eam usu Tul-

1) Huic loco similis invenitur in Rab. perduell. § 5, ubi sunt: *fateor, atque etiam profiteor.*

2) Simillimum locum iam supra p. 19 tractavimus, quo Q. eodem modo duos locos confudit.

3) Cf. l. c. p. 497 n. 2.

liano probari, quae lectio ex simplici scriptura facile corrumpi potuerit ita, ut postea inde falso restitueretur *culpa vacat.* Quae argumentatio paulo altius repetita est quam ut veri sit similis: non difficilius contrarium accidere potuit. Cicerone ut hoc loco idem verbum bis de industria in eadem paragrapho posuerit pro altero, quod sane varietatis atque gravitatis causa quaesitum videtur esse, ut allitteratio efficeretur? Cui sententiae assentiri non possumus. Immo cum illam figuram rhetoris esse putemus, alteram sequemur: Cicero elegit [1]) ipse inusitatam vocem, quae varietur cum sequentibus verbis *carent crimine.* Quod nobis quidem multo verisimilius esse videtur, quam librarios codicum Tullianorum eodem verbo bis posito varietatem eloquendi necessariam esse credidisse. Quarto loco quamquam Quintiliani lectio (IX 2, 28) multum a codicibus abhorret, tamen a Schoellio [2]) digna putatur, quae Ciceroni reddatur. Agitur de verbis § 7 *iudicio ac voluntate*, pro qua scriptura rhetor *consilio ac voluntate* habet. Sed de hac lectione idem dicendum est, quod de superioribus: quod illa nullo alio exemplo ne simili quidem apud Tullium confirmatur, cum vox *voluntate* saepius cum verbo *iudicium* coniuncta inveniatur, auctoris lectio sane inusitata est. Atque quod Schoell dicit Quintiliani verborum conformationem concinniorem esse altera quae est in codicibus, haec ipsa res scriptoris interpolationem quasi demonstrare nobis videtur; qui praeceptor artis rhetoricae figura rhetorica usus est, non ut de industria Ciceronis verba mutaret vel emendaret, sed quod naturae ipsius propria erat. Voces illae *consilium* et *voluntas* certe simillima, ne dicamus pari notione idem bis inepte (ut Schoell putat concinnitatis causa) memorant, cum verba *iudicium* et *voluntas* inter se diversa significantia subtiliter neque inutiliter posita sint. Rem ita se habere Eberhard quoque sensit, qui hanc rhetoris lectionem recipere dubitavit, cum dicit *consilio* a Quintiliano fortasse ex memoria allatum esse [3]). Venimus ad ultimum exemplum, quo et Quintilianus (VIII 3, 85) et Schoell [4]), nimis eius fide confisus, lapsi sunt in scribendo *bonitas* pro codicum lectione *lenitas* (§ 15).

1) Cf. Luterbacher l. c. p. 218.
2) Cf. l. c. p. 496.
3) Cf. Eberhard ed. p. 57 n.
4) Cf. l. c. p. 497.

Schoell autem ad scriptoris lectionem confirmandam profert verbum *lenitas* ex glossemate vocis *bonitas* natum esse, propterea quod illud sensum communiorem praebens a librario ex verbo propriae notionis corruptum esse veri sit simile. Confert etiam § 37, quo loco *bonitas* eadem significatione cum voce *misericordia* exhibetur. Cum autem *bonitas* et *lenitas* verba inter se non multum differant, rhetoris lectio non minus facile interpolata esse potest quam codicum. Atque cur locus modo commemoratus Quintiliano ante oculos obversari non potuerit, id quod criticus ille contendit, difficile est ad intellegendum, praesertim cum aliis locis vitia huius generis apud eum invenerimus. Quin etiam rhetor in § 85 componenda levitatis est insimulatus [1]), cum dicit: *sequens posita est in voce aut omnino suppressa aut etiam abscissa. Supprimitur vox, ut fecit pro Ligario Cicero: Quodsi in tanta ... intellego quid loquar: tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deesse homines, qui ad crudelitatem eum impellerent.* Quae Quintilianus Ciceronem tacuisse dicit, orator in sequentibus verbis copiose tractat. Quomodo haec difficultas explicanda et tollenda est? Vix fieri potest, quin rhetorem, cum haec scriberet, oblitum esse censeamus, quomodo illa verba in ipsa oratione inter se coniuncta fuerint. Etsi scriptor levitatis non est insimulandus, tamen ostenditur eum hoc quidem loco sine dubio codicem ante oculos non habuisse. Quae cum ita sint, cum critico illo facere non possum, sed codicum lectionem retineam. — His locis auctoritate librorum manu scriptorum carentibus accurate examinatis apparet Quintiliani testimoniis non tantam fidem tribui licere quantam Schoell voluit, praesertim cum negari nequeat eum saepius ex memoria oratoris verba attulisse. Quodsi nonnumquam loci exstant, quibus ille unus verum praebeat, his alii opponi possunt quibus argumenta a viro docto allata mihi quidem non satis gravia videantur, quae codicum honorem labefactent.

Hi sunt loci, quibus Quintilianus vel cum α vel cum β classe consentit vel ab utraque familia omnino dissentit. Vidimus eum tribus locis cum α conspirare ita, ut sine ulla dubitatione hic consensus contra β veram genuinamque lectionem praebeat. Quo loco rhetor cum β classe facit, Quintilianus ipse auctor huius lectionis fuisse videtur. Quae cum ita sint, apparet Quintilia-

1) Cf. Luterbacher l. c. p. 219.

num in exemplis ex Ligariana afferendis ex eodem fonte pendere, ex quo prima familia ducta est atque cum sola *α* classe certo quodam vinculo iunctum esse. Cui sententiae non solum non obstat, quod eius scriptura compluribus locis nulla auctoritate codicum firmatis praeferenda videtur esse libris servatis, sed etiam admodum favet: unde conicimus fontem rhetoris cum *α* classe conspirasse, sed multis erroribus caruisse, quibus libri eiusdem classis postea infecti sunt.

§ 6. Veniamus nunc ad Priscianum grammaticum, cui, quamquam saeculo VI floruit, tamen maior auctoritas attribuenda est, praesertim cum permultos locos ex vetustissimis fontibus, ex libris grammaticorum priorum saeculorum, hauserit: ipse Charisium, Diomedem, Caprum, Plinium, Probum saepe nomine affert, quorum exempla ex parte ad Remmium Palaemonem (saec. I) referenda sunt [1]. Alia testimonia ipso grammatico teste ex libris manuscriptis deprompta sunt; nec dubitandum est, quin ei integrioribus fontibus uti licuerit, quam quibus nos utimur. Cum autem aliquot exempla doctrinae illius antiquae per manus traditae ab aliis decurtata, ab aliis additamentis aucta esse probabile sit, ratio quaedam atque cautio adhibenda erit inprimis eis locis, quibus lectiones Prisciani nulla librorum fide comprobentur. Quae praemonenda mihi videbantur; nunc accedamus ad ipsa exempla grammatici ex Caesarianis hausta.

Priscianus igitur ex his orationibus vicies verba laudat, ex Marcellina sexies, ex Ligariana septies, ex Deiotariana item septies. Tres locos bis [2]) attulit (pariter atque Quintilianus), quorum verba inter se non discrepant, ut septendecim reliqui sint loci, quibus diversa proferuntur. Ex his quattuor a codicibus Tullianis omnino non abhorrent, cum ceteri modo a prima, modo ab altera classe discrepent, modo ab omni librorum auctoritate recedant.

1) Cf. Dr. Herm. Karbaum: 'de origine exemplorum, quae ex Ciceronis scriptis a Charisio, Diomede, Arusiano Messio, Prisciano Caesariensi, aliis grammaticis Latinis allata sunt.' Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Gräflich Stollberg'schen Gymnasiums zu Wernigerode. 1889.

2) Cf. Grammatici Latini. vol. II p. 94, 19 et III p. 220, 5; vol. II p. 181, 12 et 226, 4; vol. III p. 273, 19 et 325, 1.

Primo loco enumerentur ea exempla quae et grammaticus et omnes codices inter se congruentia habent: Marc. § 8 *simillimum deo iudico* (II p. 94 et III p. 220); Lig. § 1 *itaque quo me vertam nescio* (III p. 101); Deiot. § 17 *en crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset, cur* (III p. 193); § 24 *speravit, credo, difficiles tibi Alexandreae fore exitus* (II p. 73). Quibus in testimoniis pluribus verbis non opus est, propterea quod difficultates criticae afferuntur nullae.

Pergamus igitur ad eos locos quibus etiam librorum manuscriptorum discrepantia accedit. Ex octo huius modi varietatibus quae inveniuntur quinque ad primam, tres ad secundam familiam se applicant. Cum eis locis quibus grammaticus et *α* classis conspirant modo cum omnibus codicibus modo cum singulis consensio fiat, priore loco illas duas tractemus lectiones cum tota classe consentientes. Quarum altera in Deiot. § 1 cuius paragraphi initium laudat invenitur. Agitur de verbis *ita multa me perturbant*, quae Priscianus (Gramm. Lat. III p. 369, 3) et *α* offerunt, cum *β* collocatione verborum mutata *ita me multa perturbant* exhibeat. Neque dubium esse potest, quin *α* classis scriptura numerus visque orationis melior graviorque fiat, cui rei subvenit, quod praeter libros etiam grammaticus hanc lectionem testatur. Alter locus in eiusdem orationis § 8 exstat, ubi verba *istam, inquam, dextram, non tam in bellis neque in proeliis quam in promissis et fide firmiorem* a Prisciano (II p. 93) et prima classe tali forma exhibentur, cum *β* classis post *quam* voculam *in* praetermittat, iniuria, opinor. Nam in sententia disiunctiva praepositionem repeti solere notum est. Illud verbum post *quam* facillime intercidere potuisse satis habemus commonuisse neque pluribus exemplis illustrare opus est: consensus optimae classis et grammatici tollit omnem dubitationem. Ut nunc tres illas varias lectiones uno tantum ex *α* codice comprobatas pervestigemus, accedamus ad Marc. § 2, ubi Priscianus (II p. 263) cum V conspirans verba *nec fas esse ducebam, versari me in nostro vetere curriculo* ita affert, ut *vetere* pro *veteri* ceterorum codicum exhibeat. Quod Ambrosianus solus hoc verbum praeterit, nulli alii rei nisi neglegentiae librarii est crimini vertendum. Duplex autem ablativi forma *vetere* et *veteri* nobis tradita est apud scriptores [1]):

1) Cf. Fried. Neue: Formenlehre der Lateinischen Sprache (3. Aufl. von C. Wagner, Leipzig 1892) II. Bd. p. 85—87.

usitatior est prior, nimirum in prosa oratione, cum poetae inter *vetere* et *veteri* metri causa varient, et hoc quidem posteriore aetate. Nam temporibus Ciceronis et iam antea sola forma *vetere* auctores sunt usi et poetae et soluta oratione scribentes. Apud Ciceronem igitur et Livium critici omnibus eis locis quibus altera scriptura exstitit in codicibus usitatiorem vel potius rectam formam restituerunt optimis libris nixi. Cum his expositis *vetere* ex usu Tulliano solam veram lectionem esse confirmaverimus, illa forma hoc quoque loco restituenda est, praesertim cum ad V codicem Prisciani testimonium accedat. Altero loco in Marc. § 21 exstante unus H cum grammatico (II p. 181 et 226) consentit in his verbis: (*est*) *quod si in alterutro peccandum sit* e. q. s.; omnes autem codices praeter H praebent *est, ut, si in a. p. s.* e. q. s. Iam Patricium offendebat 'copula *ut* ad fingendam periodum neglegenter subiecta' [1]), cuius licentiae alterum exemplum in huius orationis § 12 videmus: *lenitas florescet cotidie magis, ita, ut* (om. α) *quantum — adferat* BE (*adferet* αDL). Atque ut hoc loco vocula *ut* haud dubie a β classe adiecta — iam variae lectiones *adferat* et *adferet* in hac familia exstantes interpolationem demonstrant — respuenda est, ita scriptura plurimorum codicum in § 21 *ut si,* propterea quod *ut* recepto nexus sententiarum difficilis est ad intellegendum. Quomodo enim *ut — malim videri* ex antecedentibus *tua cautio nostra cautio est* sequi possint — *ut* hic certe consecutivam, quae dicitur, vim habet — nobis obscurum est et erit. Sin autem puncto post *est* posito *quod si* recipimus, omnia bene sese habent: his verbis superiora breviter attinguntur et ad novas res traducitur animus. Librarius autem, qui artius conecti voluit utramque sententiam, fortasse subiunctivo *malim* adductus est, ut mutaret. De scribendi vero ratione dubitari iam non licet, cum ad hanc codicis H lectionem in optimis fundamentis positam testimonium Prisciani accedat. Atque si recentissimi critici, ut Eberhard et Kornitzer [2]), iterum contendunt illam periodum, quae β classis scriptura efficiatur, esse firmiorem vel potius concinniorem altera, ex rationibus modo tractatis in errore versari nobis videntur. Proximus locus, quo unus tantum codex cum Prisciani

---

1) Cf. Fr. Aug. Wolf edit. p. 50—51 n.
2) Cf. A. Kornitzer: Zeitschr. f. Oest. Gymn. 56. Jahrg. (1905) Heft VII p. 605.

verbis (Gram. Lat. III p. 273, 19 et 325, 1) consonat, reperitur in Deiot. § 33, ubi Harleianus (H) et grammaticus praebent *eius enim nomine optimi viri nec tibi ignoti,* cum AV *hominis nomine optimi viri n. t. ign.*, altera classis *nomine optimi hominis n. t. ign.* exhibeant. Qui librorum manuscriptorum varias lectiones inquirit, cognoscet, quae genuina, quae interpolata sit scriptura. Nam in AV unum ex utroque verbo *hominis* et *viri* falso adiectum esse nemo erit qui neget. Vocem autem *hominis* prave positum esse elucet cum ex falsa collocatione tum ex H codicis lectione. Prima igitur classis verbum *viri* comprobat. In β vero verbum *hominis* supra versum adscriptum alterum expulit. Rem ita sese habere grammaticus hunc locum bis afferens ita confirmat, ut certa sit scribendi ratio.

Transeamus ad secundae classis cum Prisciano consensum, cuius tres loci exstant. Atque primus est in Lig. § 25, ubi talis exhibetur dissensio, ut Priscianus (III p. 367) una cum B^{2}DE *gloriari per me licet* offerat, cum αB^1 *gloriemini per me licet* habeant. Quae scriptura omnibus fere criticis iure ac merito non displicuit. Nam etsi utraque structura ferri potest, tamen α familiae exquisitiorem et usui Tulliano aptiorem vel potius necessariam esse putemus, quod verba *per me licet* una quasi notione continentur aeque ac nostrum '*meinethalben*', '*meinetwegen*'. Quam ad vim melius quadrat subiunctivus *gloriemini,* quin etiam postulatur. Praeterea e prima codicis B manu apparet etiam in β classis archetypo illam lectionem exstitisse, quae postea correcta vel depravata est a librario hunc usum Tullianum ignorante et in utroque verbo finito (*gloriemini* et *licet*) offendente. Alter locus exhibetur in Lig. § 11, ex qua Priscianus (III p. 64) cum alia tum *Romae ne sit* affert adprobante β classe, cum α familia ante *Romae* adiciat *ut.* Quae lectio, utrum Ciceroni reddenda sit necne, viri docti valde inter se dissentiunt. Qui α classis auctoritatem sequuntur, dicunt vocem *ut* post *aliud,* quod antecedit, facillime propter similitudinem litterarum in β excidere potuisse, contra quam sententiam Eberhard [1]) et Schoell [2]) non sine iure protulerunt, hanc voculam non minus facile per dittographiam, quam vocant, adici potuisse. Quod igitur argumentum neque in hanc

---

1) Cf. Eberhard ed. p. 60 nota ad v. 8.
2) Cf. Schoell l. c. p. 496 n. 1.

neque in illam partem magnam vim habet, quamquam saepius verba omittuntur propter similes litteras quam per dittographiam adduntur. Plus demonstrare nobis videtur alterum argumentum ad lectionem *ut Romae ne sit* defendendam prolatum: aequalitas utriusque primi membri, quae hoc modo efficitur quaeque ab Eberhardo l. c. cum iniuria corruptrix appellatur. Atque argumentum, quod contra affert, *Romae* aptissime initio positum esse, ut membra sequentia hoc primo continerentur, nihil valet propterea quod ultimum *ne sit in patria* cùm primo *ut Romae ne sit* parem locum obtinet: Roma est patria uniuscuiusque Romani. Quae res cum ita sese habeat, etiam hoc argumentum ad alterius classis lectionem confirmandam concidit. Quam egregie *ut ne* posita sint pro simplici *ne*, non tam eo, quod *ne* post *Romae* neque in initio, loco usitato, collocatum est, quam concinnitate demonstratur, quae tali modo efficitur quaeque sane a Cicerone quaesita est. Itaque facere non possumus, ut Prisciani cum altera classe consensui maiorem auctoritatem quam α familiae tribuamus, praesertim cum cognoverimus priore loco sine dubio α lectionem huic consensui esse praeferendam: ille locus hunc affirmat. Tertius locus quo Priscianus (III p. 342) cum β facit est in Deiot. § 31, ubi sic est: *etsi inique Castorem cum Domitio comparo*. Post hunc consensum ad unum omnes editores β classis lectionem acceperunt, α classis *confero* pro *comparo* reiecerunt. Causa qua critici commoti sunt ut hoc quidem loco β classem contra α sequerentur, in testimonio certo Prisciani posita est; qui illam vocem *comparo* expressis verbis laudat, cum dicit: *Romani quoque comparo tibi illum et tecum. Cicero pro Deiotaro: etsi inique* e. q. s. Sed cum alterius α familiae lectio per se bona sit neque notio utriusque vocis inter se differat, etiam hoc loco consensui β classis et grammatici non magis confidemus quam superioribus vel certe vel cum probabilitate reiciendis: hic locus superioribus confirmatur.

§ 7. Age vero pergamus ad locos nulla librorum fide comprobatos; sunt autem decem. Quorum primus exstat in Marc. § 25, ubi Priscianus (Gr. L. III p. 368) affert verba haec: *tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum ieceris.* Quae lectio cum codicibus ipsis in verbis consentit, dissentit in ordine; nam libri verbis transpositis exhibent *fundamenta nondum, quae cogitas, ieceris.* Voces autem *quae cogitas,*

cum 'neque apud Priscianum neque in Tullii codicibus apto loco positae' [1]) neque *fundamenta, quae cogitas, ieceris* usitate dicta sint, suspicionem moverunt ex margine irrepsisse. Haec est sententia cum aliorum tum Baiteri; sed ne is quidem verba delere est ausus, quod quidem recte fecit. Nam etsi illa inusitate prolata sunt, tamen nullo modo verba *quae cogitas* expungi licet; immo demonstrant corruptelam hoc loco exstare quae sanetur oportet. Quod alii viri docti alia ratione consequi studebant: quamquam Muretus sensum aptum restituit, collocatione verborum mutata *maximorum operum quae cogitas ut fund. n. i.* scribens, tamen huic rationi optimo iure Eberhard [2]) opponit ultimum sententiae membrum pro antecedente brevius fieri. Fr. Aug. Wolf [3]) Prisciani lectionem secutus putat 'rectiori sententiae ab ipso (sc. auctore) praelatam esse rotundiorem traiectionem'. Tertius interpres [4]) utraque verba *opera* et *fundamenta* significare idem atque *res gestae* arbitratur, quod de *opera* concedi potest, de *fundamenta* non potest. Sensus orationis postulat *fundamenta eorum* (*sc. operum*) *quae cogitas*: sive hanc explicationem sive illam praeferes, nobis quidem optimum et facillimum esse videtur vocem *eorum* post *nondum* supplere, praesertim cum in archetypo post NONDVM illud EORVM facillime propter similitudinem syllabarum (NOND[VMEOR]VM) excidere potuerit. Quam scripturam praebet grammaticus, pro coniectura est habenda vel ipsius Prisciani vel librariorum. Alteram varietatem exstare videmus in Lig. § 2, quo loco Priscianus (Gr. L. III p. 100) a librorum verbis ita abhorret, ut vox *Tubero* post *igitur* ab eo praetermittatur. Neque vero facere possumus, quin hanc omissionem perperam factam esse dicamus, non tam quod codices omnes et Quintilianus hunc locum bis (IX, 2, 51 et IV, 1, 67) laudans illud verbum exhibent quam quod sensus ipse commendat vel potius flagitat. Nam vehementiorem fieri sermonem conversum ad Tuberonem nomine appellatum nemo non concedet. Praeterea si nomen deesset, auditores nescirent, utrum Cicero illa verba ad Caesarem iudicem an ad alterum converteret. Sequatur varia lectio in Lig. § 25

1) Cf. Orelliana ed. alt. II 2 p. 1191 n.
2) Cf. Eberhard l. c. p. 37 n. ad v. 4.
3) Cf. Wolf edit. p. 57 n.
4) Cf. M. T. Ciceronis oratio pro M. Marcello. Für den Schulgebrauch erklärt von Prof. Dr. F. Thümen (Gotha 1904) p. 23 n.

exstans, quae est haec: grammaticus (III p. 367) praebet *atque in hoc quidem cum mendacio* omisso *vel* post *quidem,* quod codices habent. Omittendum autem non est, cum hac voce gradatio quaedam totius loci naturae aptissima efficiatur, quam desiderare nolimus. Cum Priscianus locis modo tractatis in rebus minoris momenti a codicum lectione recesserit, nunc etiam in maioribus dissentit. Cuius generis exemplum primum est in Lig. § 13, quo loco grammaticus (II p. 354) *iacentes ante pedes* exhibet pro librorum *ad pedes,* quae scriptura unice vera est, cum usus Tullianus eam postulet; in orationibus quidem semper *ad pedes iacere* leguntur. Alter locus invenitur in eiusdem orationis § 14, ad quam Prisc. (II p. 392) annotat haec: *misereo pro misereor, unde miseret et miseretur impersonalia. Cicero pro Ligario: cave te fratrum pro fratris salute precantium misereatur.* Iam Baiter recte sensit apud auctorem ad verba praecedentia lectionem *misereat* vel aptiorem esse quam *misereatur*[1]. Neque dubium esse potest, quin hoc loco error librarii vel grammatici ipsius exstet, praesertim cum omnes codices activam formam exhibeant atque hoc ipso loco nova difficultas inveniatur. Nam libri praebent pro Prisciani verbo *precantium* vocem *obsecrantium,* quae multo significantior est altera, quandoquidem Cicero illa verba adversariorum esse vult, quorum auribus non servire, sed quos immoderatis verbis irridere solet. Itaque obsecrandi vox ad sensum melius quadrat quam precandi. Etsi his expositis iam cognosci licet grammaticum non tam verba Ciceronis ipsa reddere voluisse quam legem quandam ad grammaticam pertinentem illustrare exemplo, tamen rem sequentibus locis multo melius perspicies. Venimus enim ad Prisciani (Gr. L. II p. 181) verba *malim timidus quam parum prudens videri,* quae ad Marc. § 21 spectant, ubi a codicibus *malim videri nimis timidus quam parum prudens* exhibentur. Quod *videri* sub fine sententiae ab auctore ponitur, male factum esse nobis videtur, cum altera collocatio exquisitior sit. Tum *nimis* ab illo praetermittitur, iniuria, ut putamus. Nam hac voce addita verba *nimis timidus* et *parum prudens* aptissime opponuntur. Quae cum ita sint, codicum lectionem genuinam atque a manu oratoris esse profectam censemus. Transeamus ad Lig. § 9, ad quam Priscianus (III p. 305) adnotat *Cicero pro Ligario:*

1) Cf. Orelliana II ed. vol. II 2 p. 1199 n.

queritur se prohibitum, deest esse. Hic manifestum est eum non verba orationis propria afferre, sed demonstrare voluisse ab auctore inusitate verbum auxiliare *esse* omitti. Simillima res est in Lig. § 11, ubi Priscianus (III p. 64) *Romae ne sit neve cum fratribus* affert, cum libri post *sit ut domo careat ne cum optimis fratribus* e. q. s. exhibeant. Quo loco illustrari vult etiam nomina pro adverbiis posita esse per diversos casus, velut per genitivum, ut *Romae.* Sequitur exemplum illud Ligarianae, qua in re nihil aliud nisi legem demonstrandam respexit. Denique huc pertinet varietas, quae in Lig. § 25 exstat, ubi Priscianus (III p. 367) praebet *si vis* pro *si vultis,* lectione codicum. Alteram personam numeri singularis falso positam esse loco pluralis nemo negabit, qui totius loci naturam noverit. Ubique enim haec persona legitur — de omnibus Tuberonibus est sermo — etiam in ea ipsa sententia *vos provinciam fuisse Caesari tradituros.* Atque qua de causa in una eademque sententia persona mutetur, intellegi vix potest. — Quos locos omni codicum fide carentes nihil conferre posse ad quaestionem propositam videmus, cum grammaticus magis leges grammaticas exemplis illustrare quam ipsa orationis verba reddere voluerit.

Vidimus Priscianum quinque locis auctoritate primae classis comprobatis sine ulla dubitatione genuinam orationis formam retinuisse, cum tria exempla alterius fide utantur; de quibus licet dubitari, utrum in textum recipienda sint necne. Haec autem res non solum nihil refert ad ea quae ex consensu cum prima vel secunda classe discimus, sed etiam coniecturam nostram confirmat. Censemus enim Priscianum cum primam tum alteram familiam (quin etiam β classis ei nota fuerit, in dubio esse iam nequit, praesertim cum unum quidem locum [Gr. L. III p. 342] expressis verbis afferat) novisse ex grammaticis superiorum saeculorum. Quamquam vero pro explorato haberi vix licet, quibus auctoribus loci cum α classe, quibus cum β conspirantes debeantur, tamen coniectura probabilitatem quandam consequi possumus. Quintiliani temporibus unam tantum recensionem praesto fuisse neque probabile esse alteram tunc omnino exstitisse supra intelleximus. Cum autem permulta Prisciani exempla ex scriptoribus deprompta ad hoc primum saeculum, ad Plinios et Probos referenda sint, veri fit simillimum locos cum prima α classe consentientes antiquissimis illis grammaticis deberi,

eos autem, qui cum secunda β familia faciunt, posterioris aetatis, grammaticorum saeculi tertii vel quarti esse, quo quidem alterius recensionis fundamenta iam exstitisse postea videbimus. Unde sequitur primum, ut huius familiae recensio sane vetusta eaque digna sit, quae propter hanc vetustatem in crisi respiciatur, tum autem, ut testimonio Prisciani β lectiones nullo modo adiuventur vel comprobentur. Quae si concesseris, facile intelleges, quomodo fiat, ut apud auctorem scripturae exstent, quae haud dubie respuendae sint, ut ne locum quidem expressis verbis laudatum, qui in textu ponatur, commendare audeamus. Neque vero negemus aliquem dubitare posse, utrum primae an secundae classis lectio praeferenda sit; sed cum α familiam optimam esse luce clarius sit, etiam locis, ubi consensus intercedit inter Priscianum et β, parem rationem atque ceteris huius generis adhibendam esse nobis est persuasum. Loci nullo codice comprobati auctoritate digni sunt nulla, propterea quod hic magis rationem rerum ad grammaticam spectantium habuit quam ut verba Ciceronis integra redderet. Quae cum ita sint, Priscianus in emendandis his orationibus certus fons non est habendus.

§ 8. Ex ceterorum auctorum grege Quintilianum et Priscianum auctoritate atque numero locorum allatorum adaequavit nemo. Quorum testimonia cum pauciora sint, haud ita multum ad quaestionem tractandam conferre possunt. Accedit, quod eorum exempla plus minusve ex libris antiquiorum scriptorum manaverunt, etsi interdum, unde hausta sit illorum doctrina, vix dici licet. Illis autem fontibus deperditis testimonia ab his servata condicionem utriusque classis quam eruimus bene illustrant atque confirmant. Neque vero omnes auctores digni sunt qui respiciantur: nonnulli eorum sine ullo scrupulo ex hac disputatione excludi licet, cum verba ab eis citata vel nullam varietatem praebeant vel libere commutata vel ex alio scriptore derivata sint. Quibus adnumerandi sunt Iulius Victor[1]) et Iulius Severianus[2]), qui ex Quintiliano locos sumpserunt, Agroecius[3]) cum codicum

1) Cf. C. Halm: Rhet. Lat. m. p. 425, 13—17 et Quint. IV 2, 109 sq.; Rhet. Lat. p. 438, 2—4 et Quint. VIII 5, 13.
2) Cf. Rhet. Lat. p. 369, 7 sqq. et Quint. VIII 4, 27.
3) Cf. Gramm. Lat. VII p. 114, 10.

lectione conspirans, Donatus, cuius loci aut cum libris manuscriptis consentiunt[1]) aut ex memoria allati esse videntur[2]), Grillius[3]), Pompeius[4]), Nonius Marcellus[5]), Augustinus[6]), qui omnes verba ex Caesarianis laudata libere mutaverunt, ut ad suam cuique rem illustrandam utile videbatur esse. Huc pertinent etiam quattuor loci Isidori Hispalensis[7]) partim adeo corrupti, ut omni sensu careant. Qui reliqui sunt auctores secundum ordinem temporum tractabimus ita, ut varias, quas habent, lectiones afferamus.

Aquila Romanus rhetor initium Ligarianae citans (Rhet. L. p. 24, 24) pro *non auditum* praebet *inauditum* una cum pessimis libris, quam lectionem per notam scriptam[8]) et postea corruptam esse non solum optimis codicibus, sed etiam Quintiliani (XI 3, 108 et 110) testimonio duplici confirmatur. Quod auctor eodem loco cum codicibus *ante hunc diem* exhibet pro *ante hanc diem,* unice vera scriptura, ut apud Quintilianum vidimus, haec ipsa corruptela ut in utraque familia, ita apud rhetorem usurpata demonstrare mihi videtur, codices tunc temporis iam magis depravatos fuisse quam aetate Quintiliani. Nondum autem hoc exemplo ostenditur eum duas illas α et β recensiones vidisse, quamquam a probabilitate non abhorreret, cum utraque classis apud alterum huius tertii saeculi auctorem certe exstet, Marium Plotium Sacerdotem dico, qui quattuor locis (Gr. L. VI p. 491, 15; 442, 27; 442, 28; 443, 1 et 462, 7) codicum lectionem affirmat, tribus ab eis discrepat. Is in Lig. § 21 comprobat (Gr. L. VI p. 442, 28) *domi* β classis pro *domo,* scriptura α familiae ex errore nescio quo nata. Porro testatur (Gr. L. VI p. 465, 31) in Marc. § 10 verba HV codicum *parietes ... ut mihi videntur* pro ceterorum *videtur.* Neque vero in dubium vocari potest, quin illud *videntur* voci *parietes* adsimulatum sit ad imaginem,

1) V. Donatus ad Ter. Hec. II 1, 16 et ad Ter. Andr. V 4, 4.
2) V. Donatus ad Ter. Andr. I 1, 86 et Andr. II 1, 19.
3) Cf. Rhet. Lat. p. 604, 32.
4) Cf. Gramm. Lat. V p. 263.
5) Cf. p. 437, 9 et p. 239, 1 (v. etiam quae Luc. Mueller ad utrumque locum annotat).
6) Cf. de civ. dei IX 5.
7) Cf. Origg. V 27, 26; II 21, 7; V 25, 32; II 30, 10.
8) Cf. F. Aug. Soldan edit. p. 40 sq.

qua Cicero de inanimatis usus est, perficiendam [1]). Hic consensus isque ineptus inter Sacerdotem et optimos libros quamquam primo obtutu mirus est, tamen si ea, quae modo apud Aquilam Romanum diximus primam familiam iam hoc tertio saeculo compluribus vitiis affectam fuisse, respicimus, non ita notandus est. Tertius locus est in Deiot. § 41, ubi tres illi legati Hieras, Blaesamius, Antigonus (sic β [nam *Antigenus* quod habent D¹E, nihil aliud est nisi error librariorum]. *Artignus* α) Caesari omnibusque iam diu noti dicuntur. Pro Antigono Sacerdos (VI 478, 13) Antiochum quendam appellat, quod nomen falsum esse ex totius loci natura elucet, cum Ciceroni non liceret hunc Caesari iam diu notum dicere; de Antigono autem licebat, qui legationi a. 45 post bellum Hispaniense confectum Tarraconem ad Caesarem missae interfuerat. Nescio an illa Sacerdotis lectio ex falsa primae classis scriptura quasi ex coniectura sit profecta.

Lactantius [2]) saec. IV quattuor locis lectionem α familiae testatur, duobus vero codicum auctoritate caret. Primo loco (Div. In. I 9, 3 sq.), qui ad Marc. § 8 spectat, ille scripturam *faciat* pro *facit* β classis confirmat, etsi per se et indicativus et subiunctivus ferri potest. In § 11 eiusdem orationis verbis *aliquando* et *animi* ab auctore (Div. Inst. VI 11) et a prima classe omissis huius familiae lectio ita comprobatur, ut certa sit. Item in eadem § Lactantius (Div. I. VI 11, 25) contra β classem recte exhibet futurum *florescet* pro *florescit* [3]). Duo illi loci nullo librorum fide usi ita explicantur, ut scriptor verba naturae operis non idonea neglegeret: *tua* (VI 11, 25), quod ad Marc. § 11, et *etiam* (VI 18, 34), quod ad Lig. § 35 pertinet.

Diomedes, qui ex una Ligariana exempla sumpsit, duobus locis (Gr. L. I p. 467, 8 = Lig. § 1; I p. 470, 27 = Lig. § 11) verba librorum omnium affirmat, uno cum β consonat, quattuor autem ab omnibus codicibus abhorret. Cum altera classe grammaticus (Gr. L. I p. 471, 1) conspirat in § 10 verbis *acuit oratio* pro *acuet,* quam lectionem unice veram esse apud Quintilianum (cf. supra p. 21) cum ceteris codicibus consentientem intelleximus. Ex eis varietatibus, quae nullo codice adiuvantur, tractemus primo loco eam, quae in § 9 exstat, ubi verba *contra ipsum Caesarem est congressus armatus* (Gr. L. I p. 470, 7) afferens *ipsum* omittit iniuria, cum eo addito gradatio non inepta efficiatur. Eadem res est in § 10, quo loco voculam *ipsorum* post *eorum te* neglexit (Gr. L. I p. 471, 2). Eam genuinam atque orationi propriam esse non solum codices testantur, sed etiam testimonium Quintiliani (VIII 5, 10 et supra p. 24) accedit ad illam lectionem confirmandam. Quibus duobus locis grammaticus voces prave praeteriit; in § 10 (Gr. L. I p. 471, 25) post *quid autem* verbum *contra* male adiecit, explicationis causa puto, et in sequentibus ante *quod hic potest* vocem *hoc,* quod utrumque verbum cum codicum tum Quintiliani (V 13, 5 et IX 2, 29) testimonio repudiatur. Ultimus locus, quo Diomedes (Gr. L. I p. 471, 24) a manuscriptis abhorret, est in § 7, ubi pro *sumpta,* quod etiam Quintilianus (IX 2, 28) praebet, lectionem *suscepta* usu Tulliano reiciendam exhibet.

1) Cf. Fr. Aug. Wolf ed. p. 29/30 nota.

2) De editione adhibita cf. supra p. 23 adn. 2.

3) In editionibus harum orationum, velut in Clarkii, *florescit* Lactantii lectio appellatur; neque vero mihi contigit, ut ullum illius scripturae vestigium invenirem in editione, qua usus sum. Brandt illud *florescit* ne variam quidem lectionem in apparatu critico adnotavit, quod valde miror, cum viri docti eam lectionem pro Lactantii habeant. Sin autem *florescit* unica scriptoris lectio exhiberetur, probabilitas coniecturae nostrae augeretur, quia tunc etiam apud hunc auctorem utraque recensio reperiretur. Dolendum igitur est, quod haec res non evenit.

Arusianus Messius quattuordecim locos haud ita amplos ex Caesarianis excerpsit — semel eadem orationis verba bis afferuntur (Gr. Lat. VII p. 474, 26 et 493, 22) —, quorum tres a codicum omnium scriptura recedunt, ceteri cum eis non discrepant; sunt autem hi: Gr. Lat. VII p. 469, 28 = Lig. § 4; 453, 9 = § 10; 472, 3 = § 14; 474, 26 et 493, 22 = § 16; 471, 17 = Deiot. § 3; 456, 18 = § 5; 495, 5 = § 5; 461, 13 = § 12; 473, 6 = § 30; 453, 21 = § 31; 512, 2 = § 36. Ex illis tribus locis auctoritate librorum carentibus errore vel librarii vel ipsius grammatici consilio natae sunt variae lectiones *devertisset* (Gr. L. VII p. 467, 6) pro *devertisses* (Deiot. § 17) et *id maledictum* (ib. p. 463, 1) loco *hoc maledictum* (Deiot. § 28). Tertius locus, quamquam apud Arusianum (l. c. p. 512, 17) depravatus est, tamen α familiae lectioni favere mihi videtur. Qui grammaticus exemplo ex Marc. § 8 hausto demonstrari vult Ciceronem dixisse *temperat huic;* sequuntur verba orationis: *animum vincere ... victu temperare.*

Victu autem omni sensu carens non tam ex *victoriae*[1]) ortum esse potest quam ex *victo,* quod *α* habet, praesertim cum ab auctore *huic,* non *huic rei* exhibeatur: illud spectat ad personam, non ad rem.

Ex quinque locis, quos Iulius Rufinianus affert, duo [Rhet. L. p. 38, 7 = Lig. § 1 (*novum crimen C. Caesar*) et p. 46, 18 = Lig. § 7 (*suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex parte magna, nulla vi coactus*)] cum codicibus conspirant, ceterorum vero tres variae lectiones nulla librorum fide probantur, una ad *α* classem se applicat. Qui locus ad Lig. § 27 pertinens (cf. l. c. p. 46, 28) scripturam *aliquam in regionem* contra *in aliquam regionem,* quae est secundae classis, confirmat atque comprobat. Ab omnibus codicibus atque ab usu Ciceroniano abhorret unus locus (l. c. p. 46, 28 = Lig. § 27), ubi apud Rufinianum *ad Caesarem . . . non ad domum* leguntur pro *non domum;* illud *ad* a librario responsionis causa adiectum videtur esse. Duo denique loci sunt, quibus auctorem non tam verba orationis ipsa quam sententiam spectasse puto: priore (Rhet. L. p. 46, 19 = Lig. § 10) neglexit post *quid* vocem *autem,* quae certe genuina est habenda adstipulantibus et codicibus et Quintiliano (IX 2, 29) et Diomede (Gr. Lat. I p. 471, 26), posteriore (Rhet. L. p. 43, 7 = Deiot. § 8) praebet *per dexteram istam tuam ego obtestor* pro lectione codicum *per dexteram istam te oro.*

Martiani Capellae sunt quattuor exempla, quorum altera pars dimidia ex Lig. sumpta eandem, quam libri exhibent lectionem, altera ex Deiotariana excerpta est ita, ut locus ad § 2 pertinens (Rhet. L. p. 470, 12) tutetur *solebam* primae classis contra *solebamus* *β* familiae; quam lectionem per se reiciendam esse et Madvig (op. ac. II p. 307 sq.) et Eberhard (edit. p. 85 n.) demonstraverunt. Ordo verborum *domi suae te interficere,* qui est Capellae (Rhet. L. p. 468, 15), nihil valet contra manuscriptorum *domi te suae interficere* (§ 15) [cf. supra p. 24 sq.].

Servius, qui commentarium ad Vergilium scripsit, complures locos ex Marcellina et Deiotariana commemorat, quorum hi tres ad alteram classem se applicant: Marc. § 20 verba *bonis viris* testatur ad Aen. I 548 una cum *β*, contra *α* praebet ordine mutato *bonis viris;* utra lectio praeferenda sit, dubitari potest. In Deiot. § 24 *β* et Serv. ad Aen. IX, 546 recte post *ait* voculam

1) Cf. Orelliana edit. alt. vol. II 2 p. 1186 n.

etiam, quam *α* codices habent, praetermittunt. Tertio loco praeter *β* et Serv. ad Aen. XI 438 in Deiot. § 12 etiam A codex recte exhibet *omnibus* pro lectionibus *in omnibus* (V) et *omnia* (H). Unus quoque locus cum prima classe facit, qui (ad Aen. XI 438) unice veram scripturam *tanto — quanto* (Deiot. § 12) offert, cum *β* falso *quanto — tanto* praebeat. Ceteri, qui ab omnibus codicibus abhorrent, nihil fidei prae se ferunt: in Marc. § 2 Serv. ad Aen. V 187 omittit prave *ac laborum;* § 27 ad Aen. X 467 ineptam collocationem *est enim* pro lectione codicum *enim est* exhibet; ibidem neglexit vocem *omnino;* Deiot. § 24 auctor ad Aen. IX 456 falso habet *esse* pro *fuisse.*

Quibus auctoribus adiungam scholiastam Gronovianum et interpretem Lucani, qui, quamquam eorum tempora nescimus neque satis constat, utrum ante aetatem Prisciani fuerint an postea, tamen aliquid ad quaestionem propositam conferunt, cum certe prius exstiterint, quam codices nostri antiquissimi scripti sunt.

Scholiasta Gronovianus cum *α* classe consentit hisce locis: Lig. § 5 *hunc nuntium* (cf. Orelliana: vol. V 2 p. 416), *β* om. *hunc;* § 13 *quodne* (l. c. § 417), *β* *quod;* § 18 *hoc ex te quisquam* (l. c. p. 417), *β* *quisquam ex te;* Deiot. § 5 *spectat oratio* voce *mea,* quod *β* habet, omissa (l. c. p. 422); § 37 *et peperisse* (l. c. p. 423), *β* *et reperisse.* Quibus locis *α* classis fide nitentibus oppositi sunt ei qui cum altera classe faciunt: Lig. § 11 *haec non modo admirabilia* (l. c. p. 417), *non modo* om. *α*; § 21 *verborum pondus* (ib.), certe recte contra *virorum pondus,* quae verba *α* praebet; Deiot. § 8 *afflictum* (l. c. p. 422), *adfectum* *α*. Mira est illa varia lectio apud ipsum scholiastam (l. c. p. 420): *ut si* in lemmate una cum *β* AV, *quod si* in scholio cum H et Quintiliano, neque falso. Haud scio an prior scriptura alterius sit manus. Reliqui autem loci, cum libere commutati sint, nihil valent in hac disputatione, nisi unum (l. c. p. 420, 15) excipias, quem solum genuinam integramque orationis (Marc. § 25) formam retinuisse supra (p. 6 n. 6) vidimus. — Ex septem locis, qui in commentis Bernensibus Lucani (ed. H. Usener) exstant — adnotationum, quae vocantur, locos praetermittamus, cum editio fide digna non exstet —, unus (ad V 686) lectionem *β* familiae *omnium* (Marc. § 22) confirmat pro scriptura *α* classis *omnia* ita, ut eam iustis argumentis usam veram esse constet; reliqui nullam varietatem memoria dignam exhibent.

Ex variis illorum auctorum lectionibus elucet apud complures ut primam ita alteram classem, exempli causa apud Sacerdotem, apud Diomedem unam alteram subesse, unde sequitur, ut β classis recensionis origo ante aetatem Sacerdotis, primi auctoris ordine temporum, quaerenda sit.

His expositis summam rei, quam eruimus, breviter complectamur: prima classis auctoritate Quintiliani confirmatur ita, ut eam optimum esse textus fontem luce sit clarius; qua in re Clarkio assentior. Sed etiam altera classis satis vetusta est: videntur enim fundamenta certe ante Sacerdotem exstitisse. Unde apparet primum fieri non posse, ut β archetypum ex α archetypo fluxerit, id quod Clark demonstrare studuit, deinde huic quoque familiae auctoritatem quandam propter hanc vetustatem esse tribuendam; quibus locis α, quibus β praeferenda sit, ratio diiudicabit. Cum autem tertia classis omnino sit indigna, quae respiciatur, fundamenta artis criticae optima ut in prima ita in altera familia sunt posita.

Vita.

Natus sum Hermannus Reeder a. d. XI. Kal. Sext. anni 1882 Dobberkaviensi in vico prope Stendal sito, Hermanno patre et Henrietta matre, e gente Mueller; fidei addictus sum evangelicae. Postquam in schola vici patrii litterarum elementa didici, vere a. 1891 Dessaviam in urbem me contuli, ubi per triennium versatus sum. Unde Ienam demigravi, quo in oppido octo per annos gymnasium Carolo-Alexandrinum frequentabam, cuius praeceptores semper pio animo venerabor. Anno huius saeculi II maturitatis testimonio instructus hanc in universitatem transii studiis philologis et historicis me daturus. Docuerunt me illustrissimi viri Baentsch, Cappeller, Cartellieri, Delbrueck, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Mentz, Noack, Stoy, Wilhelm. — Seminariorum philologorum per quater sex menses, historiae antiquae per septem semestria, historiae novae unum per annum sodalis fui ordinarius. Ut exercitationibus metricis interessem, Georgius Goetz benignissime mihi permisit.

Quibus viris humanissimis cum omnibus tum imprimis duobus illis studiorum meorum fautoribus Henrico Gelzer, quem acerbissimo fato nuperrime ereptum valde doleo, et Georgio Goetz, cuius ut in aliis rebus ita in hoc opusculo perficiendo egregium consilium atque benevolentiam saepe expertus sum, gratiam habeo et semper habebo.